INSTITUTIONES
JURIS NATURALIS

CONSCRIPTÆ

PER

MICHAELEM SZIBENLISZT,

J. U. DOCT. IN REGIA ACADEMIA JAURINENSI JURIS NATURALIS UNIVERSI, AC PUBLICI REGNI HUNGARIÆ PROFESSOREM P. O. CAUSARUM FORI UTRIUSQUE JURATUM ADVOCATUM.

1709
Ic
56

TOMUS I.

JUS NATURÆ EXTRASOCIALE

COMPLECTENS.

Jaurini,
Typis Leopoldi Streibig. 1820.

K455
S98
1820
vol.1

6
Copy

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO

MICHAELI ANTONIO

PAINTNER,

ELECTO EPISCOPO NOVIENSI,

PRÆPOSITO

B. M. V. ANNUNC. DE RATÓTH,

ET

S. ADALBERTI E. ET M. DE JAURINO,

CATH. ECCL. JAURINENSIS

CANONICO,

S. C. R. A. M. AD EXCELSUM

CONSILIUM R. L. H. CONSILIARIO,

AC

INSTITUTI REGII ORPHANOTROPHIALIS

ADMINISTRATORI,

POTENTI

SCIENTIARUM, LITERATORUMQUE

FAUTORI,

MOECENATI SUO GRATIOSISSIMO,

IN TRIBUTUM

PROFUNDISSIMÆ VENERATIONIS,

AC PUBLICUM

PERFECTÆ SUÆ DEVOTIONIS

DOCUMENTUM,

INSTITUTIONES JURIS NATURALIS

PRO SUBSIDIO

JURIUM STUDIOSÆ JUVENTUTIS

DESTINATAS.

D. D. D.

Auctor.

Praefatio.

Amor erga Patriam, quem non verbis modo præseferre, sed rebus factisque patefacere est officii boni civis, me provocavit, conatus autem, Auditores meos perficiendi, adursit, qui vel ipsi grandiori temporis dispendio quotidianas explanationes meas in chartam conjicere, vel per alios magnis sumtibus sibi describi curare cogebantur; ut missis iis, quæ in *Caroli Antonii de Martini* Positionibus de Lege Naturali continentur, & juxta universaliter recognitam scientificam determinationem finium magis ad Ethicam, quam Jus Naturæ spectant, iis vero, quæ ibidem aut pe-

nitus prætermissa, aut saltem adæquate exposita non sunt, completis, Institutionum mearum Juris Naturalis universi, in duos tomos distributi, primum tomum juris publici facerem, judicans, spartam mihi commissam non melius me posse ornare.

Systema juxta supremas personarum relationes, sola ratione cognoscibiles, & nexum partium Jurisprudentiæ, ex Benigna Ordinatione Regia per me explanandarum, adornandum esse duxi; ideo tomus primus Jus Naturale Extrasociale, in Jus Singularium, Familiarum, & Gentium; alter autem Jus Naturale Sociale, in Familiare, & Civile subdivisum, complectetur. Quid enim naturalius, quam singularium hominum, familiarum, & integrarum Civitatum, quæ ad se invicem socialiter, non tamen in societate existere, cogitari possunt, jura primum exponere? Dein exposito Jure, Familiam & Civitatem, utpote

societates pro existentia, & secura duratione generis humani necessarias, consequenter naturales, respiciente, quid magis cohærens est, quam transire ad Jus Publicum Regni Hung. tamquam ex principio ad principiatum?

At propterea noli arbitrari B. Lector, me tam vanum esse, ut ea, quæ in libello meo reperies, censeam, adhuc per neminem detecta, aut prolata fuisse; imo fateor, me in plerisque vestigia celeberrimorum *Zeiller*, *Egger*, *Krug etc.* de Jurisprudentia meritissimorum Virorum pressisse, quibus consultis opiniones secutus sum non singulares, ad studia juvenum potius confundenda, quam promovenda idoneas, sed communes magis. Quoties non accidit, ut in editis libris, aut manuscriptis legamus, quæ ceu proprias cogitationes, & sententias advertimus? Quoties non scribimus talia, quæ licet putemus, ex nobis oriri, tamen jam pridem ab aliis ex-

cogitata, & prolata citra scitum nostrum fuere? Scriptoris solum est, veritatem cum certitudine agnoscere, & agnitam breviter, ac clarissime proponere; ideo etiam non studebam elegantiæ stili, ac nitori, sed claritati, & quantum absque detrimento hujus fieri potuit, brevitati.

Methodo usus sum, opinione mea, auditoribus meis erudiendis accommodatissima, quorum studia omni conatu alleviare, & promovere intendi.

Si Deus vitam, & otium concesserit, alia, forte gratiora, publico offerre licebit. Interea mihi fave, & si lubet, mone.

Dabam Jaurini 22. Februarii 1820.

Auctor.

Conspectus
Tomi primi.

Introductio.

Sectio prima.

De notione juris, & principiis jurisscientiæ.

Sectio secunda.

De Juris Naturalis partibus, limitibus, & usu.

Sectio tertia.

De subsidiis & literatura Juris Naturæ.

Jus Naturæ Extrasociale

Liber primus.

PARS I.

Jus Naturæ Extrasociale Singularium.

Caput I.

De juribus connatis.

Caput II.

De officiis hominum connatis.

Caput III.

De juribus acquisitis, in specie de jure factitio, seu ex occupatione enato.

Caput IV.

De effectibus dominii.

Caput V.

De jure pactitio, seu mediata acquisitione (derivativa) in genere.

Caput VI.

De pactis in specie.

P A R S II.

Jus Naturæ Extrasociale Familiarum.

C a p u t VII.

De jure familiarum generatim.

PARS III.

Jus Naturale Extrasociale Gentium.

Caput VIII.

De Jure Gentium generatim.

Caput IX.

De juribus connatis, seu absolutis gentium.

Caput X.

De officiis gentium connatis.

Caput XI.

De juribus acquisitis, modo originario, & derivativo.

Caput XII.

De Legatis.

Liber secundus.

PARS I.

De mediis, quibus seu personæ physicæ, seu morales (familiæ) extrasocialiter viventes jus suum persequi possunt.

)(2

PARS II.

De mediis, quibus gentes jus suum persequi possunt.

Pag.	*Menda*	*Emenda.*
52	indepedenter	independenter
60	noxiis	noxius
61	prohabiliter	probabiliter
—	reddentum	reddendum
64 & 65	læsum	lædentem
79	possitivam	positivam
80	dominum	dominium
83	VI.	IV.
104	potetate	potestate
—	eomninus	eominus
122	fundatur	fundantur
138	commissaria	commissoria
159	quamdium	quamdiu
167	pereginos	peregrinos
245	fœderationem	confœderationem

Wähle die Philosophie zu deiner Führerin, sie mufs dich zum Heiligthume der Themis geleiten. Allein verkenne sie nicht — folge nicht dem ihr feindselig nachgeäften Trugbilde; mifsbrauche sie nicht, verkehre niemals das positive Gesetz!

Uib. den Geist des St. der Jurispr. von Joan. Venning.

INTRODUCTIO

Sectio I.

De notione juris, & principiis Jurisscientiæ.

§. 1.

Jus naturæ notionem naturæ, & juris in se involvit. *Natura* sensu *materiali*, naturam *physicam*, seu physice possibile, & necessarium, (quod possumus & debemus): sensu *formali*, naturam *moralem*, *rationalem*, seu moraliter possibile, & necessarium, (quod licet, & oportet facere) designat. Hic natura sumitur sensu formali. Quia intime scimus, prout etiam (§. 15.) clarificabitur, a ratione leges pro usu libero virium nostrarum præscriptas esse, & recte hinc nostram, ceu entium rationalium, liberorum, naturam dependere. Itaque jus naturæ est *jus rationis*, proinde non est *jus*, *quod natura omnia animalia docuit*, sed est *jus*, *quod ratio omnes homines docuit*, neque *jus fortioris*. *) Si igitur quæratur de jure, & injuria, non quæritur, quid *possimus*, h. e. quid juxta leges physicas per vires naturales valeamus, sed quid liceat nobis, h. e. quid nobis juxta leges rationis competat. Ideo *natura juris explicanda est nobis*, *eaque ab hominis repetenda natura.* **)

*) Spinoza in tractat. Theolog. pol. cap. 16.
**) Cicero de leg. I. 5.

§. 2.

Natura hominis in sensualitate, & rationalitate posita est. Per sensualitatem (facultates animæ inferiores) continuo impellitur ad felicitatem. Per rationalitatem (facultates animæ superiores) advertit in se hanc legem: age ita, ut tua agendi ratio omnibus rationalibus entibus lex esse possit (§. 15.), proinde legem, quæ moralitatem exigit. In conflictu sensualitatis cum rationalitate potest quidem sensualitati satisfacere; at habet etiam facultatem secundum rationem volendi, & agendi, h. e. independenter a stimulo sensualitatis legi rationis obtemperandi, seu moraliter agendi. Quare agnoscit, se esse ens libertate praeditum, agnoscit una essentialem differentiam sui ab omnibus entibus, libertate carentibus, quæ differentia apte *persona*, & *re* exprimitur. Persona est ens rationale, quod sibi fines præfigere, & eos libere persequi potest, proin propter se ipsum existens, breviter ens libertate præditum. Res est contrarium hujus. Natura itaque hominis exigit, ut sit ens liberum, sit persona. Et cum sensualitas, et rationalitas sint vires motrices omnium hominum, patet omnem, qui in figura humana comparet, pro ente libero, pro persona habendum. Atque cum plures homines in conjunctione unum, eundemque finem persequi possint, distingvimus personas *in physicas*, quarum membra sunt res, *& morales*, quarum membra sunt personæ physicæ.

§. 3.

Ut felicitatem, ad quam per sensualitatem impellimur, & moralitatem, quam ratio a nobis exigit, consequamur, *socialiter* vive-

re debemus, h. e. ita, ut unius libera externa activitas in alterius activitatem vel effective agat, vel saltem facile agere possit. Nemo enim ita ex omni parte perfectus est, ut aliena ope non indigeat. Imo ea est constitutio communis nostri domicilii, terræ, ut etiam resolutissimus ad non-socialiter vivendum, impedire non possit, ne alii ipsum exquirant, aut ne casu in eum impingant. Quare natura humana supponit socialitatem, qua supposita nemo sibi in suis externis actionibus, in alios homines influxum habentibus, irrestrictam libertatem vindicare potest. Quia hæc uni præ reliquis propter communem, & æqualem omnium hominum naturam competere non potest; cuilibet vero non propter ipsam libertatem. Si enim quilibet irrestrictam libertatem in suis externis actionibus sibi vindicare vellet, nullus liber esse posset. Nam quod unus vi irrestrictæ libertatis susciperet, alter vi æqualis libertatis impediret, taliterque nullus in externis actionibus liber esset. Hinc ut in socialitate hominum libertas non exulet, natura nos deducit ad eos limites libertati nostræ statuendos, penes quos omnes, ut personæ, entia libertate prædita, subsistere possimus.

§. 4.

Evoluta natura hominis, natura (notio) juris facile explicari potest. Advertendum, per jus, (ut complexum jurisscientiæ) jam aliquid per se subsistens, (objective) e. g. si quæratur, quid est jus? jam attributum entis, (subjective) intelligi, ut si quæratur, quis habet jus? Juxta communem jurisperitorum usum loquendi jus *objective*, sensu concreto sumtum, denotat certum modum libertatis in nostris

actionibus externis observandum; atqui hic modus libertatis non alter esse potest, quam qui cum nostra natura conciliabilis est, proinde talis, penes quem omnes, ut personæ subsistere possimus (§. 3.). Bene igitur definitur jus *objective: quod sit libertas uniuscujuslibet restricta in externo usu ita, ut omnes tamquam personæ socialiter vivere possint*, seu jus: *est libertatis mutua restrictio, sine qua plurium personarum coëxistentia cogitari non potest. Non ergo a prætoris edicto, neque a XII. tabulis, sed ex intima philosophia haurienda juris disciplina.* *)

§. 5.

Jus sensu *subjectivo*, (tamquam attributum personæ consideratum) in nexu præcedentis §phi non potest esse aliud, quam *facultas moralis sensu lato personæ competens ad actiones, quæ cum sociali statu personarum conciliari possunt.* Non potest vero esse facultas moralis sensu stricto, quia si *morale* sensu stricto sumatur, seu pro eo tantum, quod legi virtutis conveniens est, non omne jus, nec omnis executio juris est moralis, potest esse e. g. apud divitem creditorem, qui debitorem suum per strictam exactionem debiti ad incitas redigit, immoralis: si autem *morale* sensu lato sumatur, seu pro eo, quod physico oppositum est, tunc omne jus est facultas moralis, cum libertatem respiciat, et etiam a lege virtutis protegatur eatenus, quatenus persequenti jus suum resistere etiam vi legis virtutis non licet.

---

*) Cic. de leg. I. 5.

§. 6.

Ex dictis facile intelligitur: 1-o. Jus naturæ esse oppositum *juri arbitrario*, seu *positivo*, quod per voluntatem omnium sociorum, vel aliquorum, aut unius habito respectu ad determinatas circumstantias alicujus societatis, determinatur. Interim etiam hoc jus, ne in contradictionem cum ratione veniat, debet inniti juri naturæ. Ideo ratio proxima juris positivi, (ratio existentiæ) in hac, vel illa societate, ejusque circumstantiis; suprema vero, & remota, (ratio possibilitatis) sita est in ratione, jure naturæ. Quod itaque societas, aut ejus repræsentans pro jure statuit, tantum eatenus est jus, quatenus juri naturæ non repugnat. 2-o. Jus naturale esse *universale*, *necessarium*; e contra positivum *particulare*, & *hypotheticum*, cum tantum pro certis hominibus in specialibus conjunctionibus sub determinatis circumstantiis latum sit. 3-io. Jus naturæ esse *unicum*, *æternum*, *immutabile*, etsi *individualis* ejusdem cognitio diversa sit; e contra positivum jam propter circumstantias mutabiles, quas semper respicere debet, *diversum*, *mutabile*, & *temporarium*.

§. 7.

Notionem juris, a nobis datam, etiam usui loquendi convenire, patebit, si hanc quæstionem, *habet ne aliquis jus?* analysaverimus. Nam 1-o. per jus non intelligitur *debere*, (officium) e. g. per jus creditoris non intelligitur officium exigendi debitum, quia juri suo renunciare potest, ergo per jus potius intelligitur *posse*, (facultas) non tamen 2-o. facultas *physica*, seu facultas ad id, quod per vires

naturales efficere possumus, secus enim omne, quod accidit, cum per vires naturæ effectuari potuerit, jure accidisset, sed neque 3-io. *facultas moralis sensu stricto*, seu facultas tantum ad id, quod moraliter bonum est, & legi virtutis convenit. Quia tunc jus esset officium, & omnis renunciatio juris immoralis evaderet. Præterea negari non potest, multa, licet legi virtutis repugnent, pro injustis tamen non agnosci, e. g. qui abutitur rebus suis, vel qui officia æquitatis negligit, immoraliter agit, sed non injuste, ergo per jus intelligitur solum facultas moralis sensu lato, 4-o. jus semper respicit entia rationalia, penes nos existentia. Dissipati, isolati homines habent quidem officia erga Deum, erga se; jura tamen nonnisi tunc habent, quando inter eos immediatus,vel mediatus influxus, reciprocæ actiones eveniunt, nisi jus abstracte considerare velis, de quo nobis sermo non est. Denique 5-o. sub jure concipimus strictam exactionem, quam etiam coactione mediante in effectum deducere possumus. Omnes vero has notas in definitione juris, a nobis data, contineri, docent §phi præcedentes, & §. 12.

§. 8.

Ratio, cur in definiendo jure ab antiquis juris doctoribus recesserimus, sufficiens adest. Antiqui in juris notionem inquirentes vocem hanc, *rectum*, spectarunt, per quod generatim id, quod alicui normæ, legi convenit, intelligitur, & cum agnoverint, in jure naturæ de physice, vel moraliter positive recto quæstionem oriri non posse, definiverunt jus *objective* esse convenientiam nostra-

rum liberarum actionum cum lege naturali morali, *subjective* vero esse facultatem moralem ad id, quod legi naturali morali convenit. Supposita hac notione aliud evenire non potuit, quam ut sub jure naturæ doctrinam moralem philosophicam, proin non tantum officia erga alios; sed etiam erga Deum, & erga se tractaverint, ac de juribus inter cætera *in jure naturæ strictè tali*, seu *cogente* locuti sint. Interim de juribus agentes diversas difficultates superandas habuerunt, & quidem 1-o. latere ipsos non potuit, hominem juxta rationem sæpe jus habere ad actionem immoralem: e. g. jus rebus suis abutendi. 2-o. Sæpe eidem non competere jus ad moraliter bonum, e. g. mendico ad elemosynam. Hinc distinxerunt jus in *internum*, seu ad id, quod non tantum coram aliis hominibus, sed etiam coram sua propria conscientia justificari potest. *& externum*, seu ad id, in quo nos saltem alii impedire non possunt. Item in *perfectum*, & *imperfectum*. *Illud* est, quod etiam coactione mediante adversus turbatorem exequi licet. *Hoc*, quod ad protectionem obtinendam tendit, vi officiorum æquitatis, hominibus incumbentium. Verum his distinctionibus neque theoriæ, neque praxi sufficienter prospicitur. Nam si juxta genericam notionem juris jus tantum moraliter bonum respicit, quomodo potest sub eodem talis species contineri, quæ sicut jus externum interdum ad moraliter malum tendit? Dein quid prodest practico juristæ tale jus, quod, sicut jus imperfectum, in sui persecutione pure a bona voluntate obligati dependet? Adest igitur sufficiens ratio antiquæ juris notioni propriam juridicam, tantum juri externo perfecto respondentem, notionem substituendi.

§. 9.

Stabilita juris naturæ notione sequitur ad scientificam ejusdem cognitionem obtinendam detegere, quibus illud principiis innitatur. *Principium* generatim est id, quod rationem sufficientem alterius in se continet. Tria sunt autem rei alicujus principia, scilicet *possibilitatis*, *existentiæ*, & *cognitionis*. Ex primo quare, & quomodo aliquid sit possibile, ex altero quare aliquid fiat, existatque, ex tertio denique, quare quid nobis ita notum sit, perspicitur. Principium possibilitatis juris naturæ *immediatum* in non repugnantia humanæ naturæ, *mediatum* vero in ipsa Divini Numinis essentia reperitur. Principium autem existentiæ *proximum* ab existentia naturæ humanæ, & *remotum* a Supremi Creatoris voluntate repetendum. Quia concepta natura humana, ut possibili, concipitur jus naturæ, ut possibile, & concepta natura humana, ut existente, concipitur jus naturæ, ut existens; cum jus ex hominis natura repetendum sit. Et cum entia finita omnia rationem: cur possibilia sint, in Divina essentia, cur autem existant, in voluntate Dei, habeant; consequens est, juris naturæ possibilitatem mediate in essentia divina, existentiam vero remote in Dei voluntate, quae humanæ naturæ genitrix, & effectrix est, fundari.

§. 10.

Principium cognitionis juris naturæ aliud est *subjectivum*, seu *per quod*, aliud *objectivum*, seu *ex quo*. *Illud* est ratio, in qua notio juris, & principium cognoscendi objectivum cum omnibus subordinatis fundatur. *Hoc*

est generale axioma, ex quo omne jus, omnisque liberæ externæ conformationis justitia, vel injustitia derivari potest. Principium cognoscendi subjectivum est: *ratio practica* *) *respiciens naturam*, *& relationes personæ.* Quia quæ scientia ex alio peregrino fonte fluit, illa non est naturalis, ergo juris naturalis scientia tantum per rationem est possibilis. Et quia hoc volumus, ut jus naturæ sit scientia practica; ideo non per theoreticam, sed practicam rationem potest in effectum deduci. Ut denique ad homines adplicari possit, debet jam in sua abstractissima parte ad minus naturam hominum, & eorumdem universalem relationem (socialitatem), in magis concreta vero parte plane speciales relationes respicere, in quibus homines, existere, sola ratione cogitari possunt.

§. 11.

Principium cognoscendi objectivum sequenti formula exprimitur. *Omnes liberæ externæ actiones*, *penes quas inter personas so-*

---

*) Ratio generatim est facultas omnes notiones, & judicia ad principia reducendi. Est vel *theoretica*, quæ regulas, seu principia cognitionum docet, adeoque cogitationem pro objecto habens, ut in Logica: vel *practica*, quæ actionum leges, i. e. principia, secundum quæ tota sentiendi, vivendique ratio componenda est, exhibet; adeoque voluntatem pro objecto habens. Etsi pro tota nostra conformatione leges tribuat ita, ut universalis harmonia inter nos, ceu entia rationalia, producatur, vocatur *ratio practica moralis;* si vero pro externis actionibus, in alios influentibus, leges præscribat ita, ut externa harmonia hominum, in socialitate viventium, oriatur, vocatur *ratio practica juridica.*

cialitas subsistere potest, *sunt justæ*, *contrariæ injustæ*. Quia hæc propositio pro subjecto habet omnem liberam externam actionem; est enim universalis, pro prædicato vero notam juris; cum hæc in conciliabilitate liberæ externæ activitatis cum socialitate sita sit. (§.4.) Sub *persona* intelligitur ens, quod externe libere agere potest, si ipsius actio cum libera activitate omnium conciliabilis est; ideo hæc formula: *quælibet actio nostra est justa*, *quæ cum universali activitate personarum conciliabilis est*, *&* *contra* &c. priori æquivalet. Si porro hanc penes se invicem existentiam perpendamus, advertimus singulum, certo ideali territorio inclusum, intra quod omnis libera externa actio est justa, extra illud injusta; hinc usuatæ expressiones: *juris sphæra*, *juris regio*, *juris territorium*, atque ex eo concipi potest, cur illi formulæ etiam hæc substitui possit: *omnes actiones sunt justæ*, *quas persona intra suam juris sphæram suscipit*, *& contra &c.* Utemur hoc objectivo principio ad singulares, in jure naturæ decidendas quæstiones, sic sciscitanti, cur injustum sit, furari, vulnerare, occidere, generatim alterum violenter in virium suarum usu, & exercitio impedire? respondeo, quia si id quisque alteri facere vellet, socialis hominum coëxistentia irrita redderetur. Hinc illorum, qui scientificam cognitionem juris naturæ habere cupiunt, est, principium hoc ad singulares liberas externas actiones respiciendo earumdem diversa objecta applicare, ac unum systema earum conditionum construere, sine quibus socialis status hominum cogitari nequit.

§. 12.

Præmissis his verum est, a) jus esse necessarium attributum hominis; cum omnis homo sit persona, b) omne jus in se continere facultatem cogendi, h. e. violationes juris mediis etiam coactivis removendi. Nam violatio, læsio juris, est involatio facta in juris sphæram alterius; jam autem principio cognoscendi objectivo consentaneum est, tales involationes mediis necessariis in defectu leniorum etiam coactivis removere, secus enim erit impossibile suam juris sphæram tueri, et intra eam libere agere. Hæc coactio non potest pro restrictione libertatis lædentis, non pro injuria haberi, quia per hanc lædens solum ad suos justos limites repellitur. e. g. Si injustum aggressorem contineo coactione, cogo illum, ut suæ libertati eos limites ponat, penes quos etiam ego tamquam liberum ens vivere possim, & mea coactio adversus eum adhibita est tantum executio juris, non injuria. Proinde verum est: *qui jure suo utitur nemini facit injuriam.* Neque potest lædens justæ coactioni resistere, secus continuabit læsionem, et se majori coactioni obnoxium reddet. Cæterum a facultate cogendi facultas physica, coactionem effectuandi, debet bene distingvi, quia nonnunquam evidentissimum jus habenti desunt vires ad coactionem effectuandam.

§. 13.

Propter clariorem jurium cognitionem utile est, et communiter fit, ut in Juris-scientia etiam de officiis juris, (juridicis) tractetur. *Per officium juris* intelligitur libera externa conformatio, obligationi juris (juridicæ) con-

veniens. *Obligatio juris* est necessitas determinatæ externæ conformationis ex jure alterius cognoscibilis, sic ex jure creditoris pro debitore oritur necessitas solvendi, quæ est obligatio, & solutio est officium juris. Homines agnoscendo jura agnoscere debent officia, & obligationes juris. Quia jus habere significat, posse libere externe agere, quod in sociali statu non est possibile sine correspondente externa conformatione aliorum. Officiorum juris principium cognoscendi objectivum debet esse propositio, in genere illam liberam, & externam conformationem determinans, sine qua jus alterius, quin turbetur, exerceri non potest; hinc formula: *Omitte omnes eas actiones, quibus libera externa aliorum activitas cum universali conciliabilis restringeretur*, exprimit principium objectivum officiorum, & obligationum juris.

§. 14.

Principium hoc diverso modo exprimi potest, quin realis differentia oriatur: sic 1-o. neminem tracta, ut purum medium, ad tuos arbitrarios fines. 2-o. Omitte omnes eas actiones, quibus socialitas inter homines impossibilis redderetur. 3-io. Non viola jus alterius. 4-o. Neminem læde. 5-o. Cuique suum tribue &c. Quia omnes hæ, & similes formulæ possunt sine difficultate ad supra statutam formulam reduci; cum per singulam harum in re id exigatur, quod per nostram. Attamen in systemate videntur hæ nostræ postponendæ, quia, quando quis, ut purum medium, tractatur, per quid socialitas impossibilis redditur? &c. nonnisi mediante nostra formula sufficienter resolvi potest. Hinc officia juris

sunt 1-o. originaliter omnia *negativa*, alios in ipsorum jure non turbare. 2-o. Solum actiones *externas* respiciunt; nam per actiones internas non potest libera activitas aliorum turbari, ipsorum jus violari. 3-io. Observantia horum officiorum per comminationem *coactionis* sanctionatur. Qui nempe eadem transgreditur, potest jure cogi, quin habeat jus resistendi. (§. 12.)

§. 15.

Generatim propositio enuncians obligationem *lex* appellatur; ideo propositio: *Omitte omnes eas actiones, quibus &c.* est lex juris. (juridica) Homo spectato suo corpore ens sensuale est, adeoque naturæ mechanismo, ejusque legibus subest; hinc *leges physicæ*, quæ determinant, quid homini physice possibile, & necessarium sit: spectata vero anima ens rationale, et libero arbitrio præditum est, adeoque ab omni coactione quidem immunis est, verum tamen legibus rationis subest. Nam ratio juxta essentiam suam vitat omnem contradictionem, ergo exigit, ut ita agamus, ut nostra norma agendi esse possit universalis, seu ut absoluta harmonia inter omnes actiones entium rationalium obtineat; quamvis autem hæc nullo unquam tempore realisari possit; est tamen practice necessaria idea, cum hanc ratio practica semper respiciat, dum positionem, vel omissionem alicujus actionis nobis admittit, aut præscribit. Hæc idea, ut norma agendi considerata, est *lex rationis*, vocatur etiam *libertatis*, *moralis*, seu *ethica*, cum hominum mores dirigere, & iisdem notam rationabilium actionum imprimere debeat; hinc *leges morales*, quæ

determinant, quid homini liceat, & oporteat facere, & quidem, si non tantum ad actiones externas, sed etiam internas referantur, sunt sensu *stricto morales*, seu virtutis leges; si vero ad solas actiones externas, earumque legalitatem, sunt sensu *lato morales*, seu *juridicæ leges*, & ideo supra memorata lex est tantum juridica lex, sed, cum supremam obligationem exprimat, est *suprema*, *fundamentalis*, *primitiva lex juridica*, ex qua, tamquam fonte, omnes reliquæ deducuntur, et vocantur leges *derivativæ*. Sub his respectibus practica ratio est moralis, & juridica legislatoria potestas, quæ potestates a se invicem penitus independentes sunt, sed ultimo in eo conveniunt, quod viam, quæ hominem ad suum finem ducit, securam reddant. *)

§. 16.

Statutum principium objectivum jurium, & officiorum omnes, quibus supremum principium instructum esse debet, proprietates, seu characteres habet. Est 1-o. *formale*. Quia ex forma rationis, quæ est: *vita omnem contradictionem*, derivatur. Ratio enim præcipit, ut fines nostros libere persequamur, & con-

---

*) Ad quæstionem an *leges permissivæ*, cum contradictionem involvere videantur, dentur? respondemus: relate ad actiones, extra legis latæ limites positas, quævis lex est permissiva. Nam lex sive positive, sive negative enuncietur, quantitatem sphæræ, intra quam obligat, determinat, reliqua extra hanc sphæram posita, licita esse supponit e. g. lex: omitte omnes eas actiones, quibus libera externa aliorum &c. admittit eas, quibus aliorum activitas non restringitur.

sequamur; nisi ergo sibi contradicere velit, debet admittere, ut hunc libertatis usum adversus nos impedire volentes etiam coactione mediante tueamur, proinde nos impedire volentibus præcipit, ut ex metu coactionis abstineant a turbationibus (§. 12.) 2-o. Qui formulam hanc adcuratius consideraverit, facile intelliget, in ea universalem juris notam, sine qua actiones nostræ cum libertate omnium conciliari nequeunt, (§. 11. & 13.) contineri; est igitur hoc principium *universale*, et cum ex practica ratione immediate deductum sit, actionesque singulares respiciat, est etiam *practicum*. 3-io. Est *domesticum*. Quia etsi juris, et morum doctrina sint partes philosophiæ practicæ, necessaria, & universalia principia statuentis, ut iisdem homines suas liberas actiones, vel omissiones conforment, etsi utraque universale practicum principium objectivum habeat, utriusque objectum sint actiones liberæ, utraque sensualitati limites ponat, & unum, eundemque finem rationalem respiciat; tamen principium objectivum jurium, & officiorum juris nullam identitatem habere cum principio affinis scientiæ, (Ethicae) sequenti §pho sufficienter commonstrabitur.

§. 17.

Nam 1-o. Ethica ex hoc principio objectivo procedit: *entia rationalia, ceu fines, sunt tractanda;* scientia juris autem ex hoc: *homines non sunt, tamquam media, pro nostris arbitrariis finibus tractandi.* (§. 14.) 2-o. Lex juridica non præcipit socialitatem, sed jam præsupponit, nos vel libero consensu, vel casu in socialitatem venisse; lex ethica vero obligat nos ad socialitatem, in qua ra-

tio humana evolvitur, & moralis activitatis sphæra ampliatur. 3-io. Ethicæ legis objectum sunt non tantum externæ actiones, sed etiam internæ, quia semper bona voluntas requiritur, ut actio habeat morale meritum: legis juridicæ vero objectum sunt solum actiones externæ; cum ad internas nemo cogi possit. Et ideo lex juridica contentatur legali conformatione, seu ex pura bona voluntate, seu ex metu coactionis, aut inclinatione ad socialitatem, aut quocunque demum ex stimulo promanante; hinc finis hujus est, ut homines justi sint, inter quos socialitas, et legalis libertatis usus persistat. At lex virtutis exigit penes omnes actiones moralitatem; proinde etiam penes officia justitiæ, ut ea non ex metu coactionis, sed ex æstimio legis adimpleamus; hinc finis hujus, ut homines moraliter boni sint. 4-o. Ethica ad omnes actiones extenditur; jus vero tantum ad eas, quæ alienis juribus nocere possent. 5-o. Ethica tantum officia proponit, ideo etiam officiorum doctrina vocatur: jus vero principaliter jura, & solum talia officia exponit, ad quæ homines jure cogi possunt. Sic qui officia erga Deum transgreditur, ille quidem coram conscientiæ, & Dei foro rationes reddere debebit, sed nulli justæ coactioni subest, nisi una aliorum jura violet. e. g. per fanaticam turbationem alicujus communitatis congregatæ ad religionem suam exercendam. Qui officia erga se e. g. per intemperantiam, vel prodigalitatem violat, agit immoraliter, sed injustus est tunc solum, si per id aliena jura e. g. famulitii, creditorum, consangvineorum violet. Qui officia æquitatis negligit, agit immoraliter, eum tamen coactione ad benefaciendum stringere, esset actio injusta, omnemque libertatem, et

so-

socialitatem turbans injustitia. Prætextus, moralitatem promovendi in omnibus his casibus; coactionem non potest justificare. Nam ita ultronea bona voluntas efficit essentiam moralitatis, sicut mala voluntas essentiam immoralitatis, atqui coactio neque modum cogitandi mutare, neque bonam voluntatem instillare potest. 6-o. Ethica stimulat nos ad officia observanda per interna motiva præcipiens, ut homo, qui qua sensuale ens proclivis esset aliter agere, qua rationale ens propter legem moralem moraliter agat: Jurisscientia vero obligat nos per *malum*, cohibens sensualem inclinationem, h. e. per *coactionem*. Ex dictis jam intelligitur, legislationis ethicæ majorem esse sphæram, quam juridicæ, hæc tamen primas sibi vindicat, quia fieri nequit, ut quis libere, adeoque moraliter agat, nisi prius libertas ejus muniatur.

Sectio II.

De juris naturalis partibus, limitibus, & usu.

§. 18.

Notione juris, & officii juris, ac supremo utriusque principio ex natura hominis erutis, atque ex eo stabilita juris naturæ, ut scientiæ, existentia, rectus postulat ordo, ut divisio hujus scientiæ fiat. Cum jus naturale generatim talia jura, & officia juris proponenda habeat, quæ hominibus juxta eorumdem relationes sola ratione competere intelliguntur, & cum hæc pro diversitate relationum, in quibus homines, existere, cogitari possunt, diversa esse debeant, patet per supremas ho-

minum relationes nobis suppeditari divisionis rationes. Maxime universalis relatio est *socialitas*, seu status, in quo libera externa activitas in alterius activitatem influit, vel influere potest. Interim sine hac relatione nullum jus existere potest (§. 4.); ideo non suppeditat rationem divisionis. At supposita socialitate cogitari possunt homines, vel vivere sine societate, vel in societate; hinc divisio juris naturæ in *extrasociale*, & *sociale. Illud* est complexus jurium, & officiorum hominibus sine societate viventibus sola ratione competentium. Iterum extra societatem vivunt vel singulares homines, vel familiæ, vel Civitates; hinc jus naturale extrasociale abit in jus *singularium*, *familiarum*, quod utrumque, (si per hoc jus familiare internum subintelligatur), venit nomine *juris naturæ privati;* quia in hoc subjectum jurium habet tantum privatum characterem, & *Civitatum*, seu *Gentium. Hoc*, seu *sociale* est complexus jurium, & officiorum juris hominibus in societate viventibus competentium. Nos respicimus tantum naturales societates, seu tales, quæ ad existentiam, & securam durationem generis humani sunt necessariæ, & ideo *universales* vocantur; nam ubique locorum, & temporum reperiuntur, sunt vero: *Familia*, & *Civitas;* hinc divisio juris naturæ socialis in *familiare*, & *civile*, quod vocatur etiam jus *publicum;* cum in eo subjectum jurium habeat characterem publicum. Aliqui propter recognitam necessitatem religionis ad promovendam moralitatem addunt his societatibus *Ecclesiam*. Interim, cum hæc relatio propriam, a communibus profanis societatibus recedentem, seu positivam naturam habeat, hanc societatem exmittimus ex jure naturali. Deni-

que tam jus extrasociale, quam sociale dividitur in *absolutum*, & *hypotheticum*, prout extra societatem, vel in societate viventes cum juribus absque ullo facto, vel nonnisi præcedente quodam facto intelligibilibus considerantur.

§. 19.

Aliqui jus naturæ definiunt: esse jus in statu naturæ validum, & solum ad hunc restrictum; ideo, quid sub statu naturæ intelligatur? debet accurate determinari, ne ob ambiguum sensum ejusdem litibus verbalibus occasio præbeatur. *Status* sensu lato, ut apud Romanos *) significabat quamlibet relationem hominis, vi cujus ipsi peculiaria jura, & officia competunt, vel etiam ipsum complexum horum jurium. Interim communiter sub eo *extracivilis* status intelligitur. Nam civilis status tantum in Civitate est possibilis, debuit proinde hunc alter præcedere, in quo homo adhuc non erat civis, seu *naturalis*, ut pote, qui sine facto hominis a natura præsto est. Jam in hoc diversa jura pro diversitate relationum, in quibus homines, existere, cogitari possunt, advertimus; ideo etiam notiones de statu naturæ diversæ sunt: 1-o. Sumitur, ut status oppositus statui arbitrario, proin per eumdem intelligitur universalis relatio hominis ad hominem præscindendo ab omnibus arbitrariis, peculiaria jura fundantibus, factis, (originarius, primitivus status naturalis, status pacis). 2-o. Ita sumitur, ut non excludan-

*) Anfangsgründe des Röm. Privat-Rechts v. D. Joh. Kaufmann. 1. Abth. §. 33.

tur quidem omnes arbitrariæ, peculiaria jura fundantes, actiones, e. g. pacta; attamen excludantur omnes sociales conjunctiones, (acquisitus, hypotheticus, sed tamen extrasocialis status naturalis). 3-io. Notio status naturalis eo extenditur, ut per eundem homines non tantum cum connatis, & acquisitis juribus, sed etiam in sociali familiarum conjunctione existentes repræsententur, excluso tamen civili nexu, (extra civilis status naturalis). Denique 4-o. sub eodem intelligitur mutua relatio Civitatum, quatenus hæ ita; ac independens naturalis homo, nulli communi, inter illas jus determinanti, potestati subsunt (status naturalis Gentium). Ex his *primus* nunquam exstitit; quia homo ad sustentationem sui indiget vitæ mediis, quæ factis acquiruntur: *secundus* non est durabilis; cum absque familiæ societate genus humanum non propagetur: *tertius* non est securus; quia in statu, in quo singulus de securitate sollicitus esse debet, etiam nihil, aut parum significantes eventus suspicionem, et metum imminentis læsionis excitant, ad quam antevertendam prima aggressio sub specie præventionis formatur, cui alter ex convictione innocentiæ suæ jure resistit, & sic semel inchoatæ hostilitates utrinque in vindictam abeunt. Unice igitur quartæ notioni status naturalis penes reipsa existentes mutuas Civitatum relationes competit objectiva realitas. Vi harum distinctionum videri potest, quod tantum jus naturale privatum (§. 18.), et gentium pro objecto habeat statum naturæ; cum per eundem communiter extracivilis status intelligatur. Interim per jus naturæ jus rationis intelligitur, & ratio ita pro statu civili, sicut

pro naturali jura determinat; ideo jus naturale non solum ad statum extracivilem est restrictum.

§. 20.

Ad clariorem juris naturalis ideam obtinendam necessum est, hanc scientiam ab aliis affinibus philosophicis disciplinis accurate distingvere. Præcipue 1-o. ab *Ethica*. Ethicæ debemus principia, quæ pro iis quoque valent, qui procul ab omni humano consortio solitariam vitam vivunt. Jus naturæ tantum ad eos homines dirigitur, qui communionis vinculo cum aliis hominibus conjuncti sunt. Ethica virtutis amorem hominum animis inplantare, totamque sentiendi, agendique rationem eorum ita dirigere conatur, ut ad summæ sanctitatis exemplar in dies propius accedant. Jus naturæ contentatur justitia, i. e. vita ad juris leges composita, sine quarum custodia homines coëxistere, & juribus sive connatis, sive acquisitis quiete, & libere uti nequeunt. Uberior differentia Ethicæ a jure naturæ allata est §pho 17.

§. 21.

II. A *Politica*, seu *doctrina prudentiæ*, & quidem a) *Objecto*. Juris naturæ objectum sunt jura, jurisque leges. Politicæ vero aptissima, & efficacissima media ad exercenda, & conservanda jura. b) *Fine*. Jus naturæ absolute necessarium, immutabilem, & universalem finem, videlicet justitiam, prudentia vero diversos contingentes, sensuales fines, tamquam constitutivas felicitatis partes, præfixos habet. c) *Forma*. Jus naturæ suas propositio-

nes ex puris rationis principiis, Politica vero media finibus præfixis accomodatissima ex experientia haurit. Illud universaliter validas, necessarias, nullamque exceptionem admittentes leges tribuit; hæc vero media juxta mutabiles circumstantias loci, temporis, & personarum ordinat. Cui jus competit ad aliquid, ille interroget prudentiam, an utile sit uti eodem, vel non; sed ubi jus deest, ibi quidcunque prætendat prudentia, qualescunque utilitates promittat, tamen non licet eadem uti, sed officium juris adimplendum est. (*Fiat justitia, pereat mundus*).

§. 22.

III. *A jure positivo.* Jus positivum *objective* est complexus legum, quæ proxime in arbitrio entis rationalis fundantur. *Subjective*, est scientia earundem. Qui has leges cognitas habet, *Jurisconsultus*, qui si earum applicationem ad casus experientiæ noverit, *Jurisperitus*, si vero ad bonum finem hominum dirigere intellexerit, *Jurisprudens*, vocatur. Est autem jus positivum vel *publicum*, vel *privatum*. *Illud* legum earum complexu continetur, quæ jura, & obligationes mutuas Imperantis, & parentium explicant. *Hoc* circa jura, & obligationes singulorum versatur; quin ullus potestatis, & subjectionis respectus adsit. Jus positivum potest constare partim ex naturalibus, partim ex arbitrariis legibus, & quidem possunt esse naturales, aut arbitrariæ leges civiles, vel respectu edicti 1.),

1) *Edictum* est ea pars legis, quæ enunciat quid agendum, vel omittendum sit, & vocatur etiam *materiale, propositio.*

vel respectu sanctionis 2.), vel respectu promulgationis 3.). Item leges naturales civiles vel sunt *absolute*, vel *hypothetice* naturales, prout ad easdem cognoscendas Civitas generatim, vel cum circumstantiis considerata requiritur. Præmissis his discrimen, quod inter jus naturæ, & jus positivum intercedit, facile intelligitur. Nam jus naturæ continet leges absolute, vel hypothetice naturales: jus positivum vero complectitur leges, quæ interdum quoad suum edictum, semper quoad promulgationem, & communiter quoad sanctionem in arbitrio Imperantis fundantur.

§. 23.

IV. *A Philosophia juris positivi.* Quia per Philosophiam juris positivi intelligitur systematica expositio, vel cognitio juris positivi habito respectu ad ejusdem justitiam, & fini conformitatem. Qui super jure positivo philosophari vult, debet habere cognitionem juris positivi, Historiæ, & Statisticæ ejus Civitatis, pro qua illud latum est: debet legum positivarum justitiam secundum universalia principia juris, & Politicæ dijudicare. Philosophia igitur juris positivi est fructus studii juris universalis, Politicæ, Historiæ, & Statisticæ, ac juris positivi, atque magna ex parte empirica scientia. Denique V. differt *ab Historia.* Quia hæc docet, quid inter homines

---

2) *Sanctio* determinat consectaria tamquam motiva cum factis connexa, vocatur etiam *obligatio, formale* legis.

3) *Promulgatio* est actus, quo in cognitionem legis devenitur, quod fieri potest vel ope solius rationis, vel ope declarationis per legislatorem factæ.

singulares, aut in Civitatibus acciderit; jus naturale vero proponit, quid ubique locorum, temporum, & apud omnes personas jure accidere, fieri potuerit, ac debuerit.

§. 24.

Pretium, & dignitatem juris naturalis metiri possumus ex ejusdem utilitate. Utilitas juris naturæ, (imprimis privati) est partim *absoluta*, h. e. respectu omnium, partim *relativa*, h. e. respectu eorum, qui aliis partibus Jurisprudentiæ occupantur. Absoluta utilitas patet, nam jus naturæ docet, quod sit cujuslibet hominis juristerritorium, nihil autem homini magis cordi esse potest, quam accurata suorum, alienorumque jurium cognitio, qua imbutus non poterit non intelligere, externæ libertatis limitationem necessariam esse conditionem, qua sublata, omnis quoque existentiæ nostræ securitas evanescit: docet porro, quid ab aliis coactione mediante exigi, quid e contra ab ipsorum bona voluntate exspectari possit. Sine hac notitia non possumus super factis historicis, negotiis publicis, & privatis, securum, legitimumque ferre judicium, & per indeterminatas, ac fallaces doctrinas de æqualitate, & inalienabilitate jurium, de injustitia inæqualium statuum facile possumus in periculosissimos errores delabi.

§. 25.

Relativa utilitas juris naturæ privati præcipue in oculos incidit 1-o. penes *jus naturale Gentium.* Hoc enim jura ratione cognoscibilia Civitatum inter se in reali statu propo-

nit, quem statum jus naturæ privatum respectu singularium hominum, vel familiarium tantum supponit; ideo etiam multis Scriptoribus jus naturale Gentium pro peculiari scientia statuere, superfluum visum est. Ipsum vero jus naturale Gentium præstat maximum usum. Quia etiamsi jus Gentium positivum inter Europæ populos potissimum pro negotiis Gentium determinandis introductum sit; tamen cum hoc non sit universale, indiget sæpe proba, ut appareat esse verum jus, indiget interpretatione, & completione. Unde hæc nisi ex jure naturali Gentium haurienda? Ideo officiales publici, præsertim Ministri status externi, Legati, Belliduces, & Judices absque maximo detrimento Reipublicæ cognitione juris naturalis Gentium carere non possunt.

§. 26.

II. Penes studium *juris publici naturalis.* Quia ex jure naturæ privato cognoscitur, homini præscindendo a civili nexu jam jura competere, sed sine unione plurium ad defendenda eadem sub supremo capite non satis secura esse; proinde propter ipsum jus necessarium fuisse inire unam conjunctionem, & hanc, licet multis incommodis sit obnoxia, non turbare. Dein sine prævia pertractatione pactorum (materia ad jus naturæ privatum pertinente) unioni civili solidum fundamentum jacere non possumus. Denique jura civium mutua sunt tantum modificationes jurium connatorum, & acquisitorum hominis cum homine; ideo in jure naturali publico sæpissime regressus fieri debet ad jus naturale privatum. Ipsum vero jus publicum naturale utile est partim ad jus publicum positi-

vum fundandum, & explicandum, partim ad obligationes, & jura civilia cognoscenda, ac rite dijudicanda.

§ 27.

III. Penes omne *jus positivum* præcipue *privatum*. Concipi enim debet Codex ll. cujuslibet nationis ita, ut justus sit, proinde influxum habentes in legislationem debent non tantum historicam, sed etiam scientificam cognitionem juris habere; scientifica vero cognitio juris in jure naturæ fundatur. Insuper penes concipiendum codicem ll. advertendum est: 1-o. quid suprema potestas propter transitum ex statu naturali in civilem in juribus status naturalis mutare possit, & quid dictamine juris publici naturalis, & Politicæ dictare debeat? 2-o. quomodo juridicorum negotiorum, quæ in Civitate teste Historia, & testantibus Jurisperitis occurrere solent, naturalis ordo procurari, & quodlibet negotium clare definiri possit? Denique 3-io. quomodo illud, quod jure naturæ non satis determinatum, aut dubium est, ad evitandas lites accurate determinari debeat? De his vero nemo cum fundamento judicare poterit, nisi præter alias scientias, etiam jus naturale sibi notum, propriumque reddiderit.

§. 28.

Denique IV. practico Jurisconsulto sua se utilitate, & necessitate jus naturæ imprimis commendat. Solida enim ejus scientia a) in dijudicandis, interpretandis, & applicandis positivis legibus plurimum adfert auxilii. b) Si necessum fuerit, juxta legem positivam da-

ti consilii, vel latæ sententiæ convenientiam cum naturali justitia commonstrare, vel c) pro abroganda lege injusta apparente legislatori repræsentationem facere; rationes ex jure naturæ erunt desumendæ. Denique d) in tanta omnis positivæ legislationis imperfectione fons subsidiarius est jus naturæ.

§. 29.

His rite pensatis nemo non intelliget difficultatem primam: (*Jure naturæ carere possumus; cum sufficientes leges positivas divinas, & humanas habeamus, a quibus nosmet sub nullo prætextu eximere possumus*) vi §phi 27. & sequentium: Alteram: (*Ad summum utile esset jus naturæ in statu naturali, qui cum nullibi existat, & si alicubi repertus fuerit, in illo semper vis, & potentia physica victrix evadet super jure, patet nullius esse applicationis jus naturæ*) vi §phi 19. evanescere: Tertiam denique: (*Jus naturæ generi humano periculosum est ex eo, quod si homines disparitatem positivarum legum a naturalibus sciverint, positivas leges transgredi sibi minus conscientiæ ducent*) per id desinere, quod hodie in jure naturæ super naturaliter, vel positive morali nihil decidatur, sed ad legis moralis decisionem tamquam forum alienum inviatio fiat. Ultimo per fundatam Jurisscientiam auctoritas supremæ potestatis, & positivæ legislationis non modo non imminuitur, sed potius tamquam summa necessitas ad defendenda hominum jura clarissime proponitur, dum firmissimis evincitur argumentis ad pacem, quietem, & securitatem sive externam, sive internam procurandam, conservandam, & tuendam efficacius medium non dari civili societate.

Sectio III.

De subsidiis, & literatura juris naturæ.

§. 30.

Ad subsidia juris naturæ, quæ ad facilitandam, & amplificandam juris naturæ scientificam cognitionem conferunt, referuntur: 1-o. Philosophia imprimis practica universalis, Ethica. Nam hæc cum juris doctrina collata notiones ethicas, & juridicas de uno eodemque objecto accuratius secernit, officia juris, ceu moralia, proponit, & simul præcipit, ut præter officia justitiæ, etiam officia æquitatis adimpleamus, consequenter aliquando a nostro stricto jure recedamus, qui respectus jurisperito, & judici ad componendas partes litigantes notabilem usum præstant. 2-o. Anthropologia, seu notitia hominis, & Historia generis humani. Per has enim cognoscimus vires humanas, sensationes, & diversas partim naturales, partim arbitrarias hominum relationes, quibus cognitis in applicandis, clarificandisque legibus juris nobis magna lux affunditur. 3-o. Jus positivum, quod juris naturalis scientiam ita, sicut praxis theoriam illuminat, & ampliat 4-o. Philosophia juris positivi; qua mediante in rationem, & spiritum legum positivarum inquiritur. 5-o. Propria observatio diversarum popularium, & philosophicarum opinionum super jure, & injuria. Denique 6-o. literatura juris naturæ minime negligenda est. Quia ex hac progressus scientiæ nostræ, diversa systemata, a Viris clarissimis in eam invecta, singulas juris partes præclare illustrantia, cognoscuntur. Imprimis hauriri potest ex sequentibus operibus:

Hufeland, Lehrsätze des Naturr. Jena. 1795. Schaumann, wissenschaftl. Naturr. Halle. 1792. 3. u. 4. Abschn.

E. F. Klein, Geschichte der natürl. Rechtswissenschaft. Halle 1792.

Allgemeine Literatur-Zeit. Jena seit 1787; neue deutsche Bibliothek; Göttinger gelehrte Anzeigen; Ober-Deutsche Literatur-Zeitung; juristische Literatur-Zeitung von Dabelow, und Maaß; seit 1799.

Uebersicht der deutschen Literatur des Naturrechts in der neuesten Periode. Im Intelligenzblatt der Hallischen jurist. Lit.-Zeit. März 1801.

C. H. L. Pölitz, Comment. de mutationibus, quas systema juris naturæ, ac gentium a Grotii temporibus hucusque expertum fuerit. Viteb. 1805.

§. 31.

Per literaturam juris naturalis intelligitur historica expositio scientificæ culturæ juris naturalis. Cujus tres periodi statui possunt: *Prima* complectitur elaborationem singularium materialium, & incipit ab antiquissimis temporibus, durat autem usque medium sæculi 17. seu ad Grotii usque tempora: *Secunda* conjunctionem singularium materialium in unum systema sine tamen separatione ab aliis philosophicis scientiis (indeterminatum systema), & incipit a Grotio, extenditur vero usque Nicolaum Gundling, & Ephraim Gerhard; seu ab anno 1625 — 1714: *Tertia* conjunctionem singularium materialium in unum systema cum separatione ab aliis affinibus scientiis (determinatum systema), & ab anno

1714. usque moderna tempora extenditur, ac determinati hujus systematis Christianus Thomasius fundamentum jecit.

§. 32.

In prima periodo pro materialibus haberi possunt. 1-o. Leges antiquorum populorum præcipue Hebræorum, Græcorum, & Romanorum *). 2-o. Scripta antiquorum jurisperitorum, politicorum, & philosophorum, ut Platonis, Aristotelis, & Ciceronis. Aristoteli, cujus auctoritas apud juris doctores semper maxima fuit, *Justitia* fuit virtus: suum cuique permittendi, & tribuendi, sub illo *universalis*, sub hoc autem respectu *particularis* vocatur. Particularem iterum in *expletricem*, quæ in præstatione ejus, ad quod expacto, vel læsione obligabamur, & *attributricem*, quæ in distributione præmiorum, & pœnarum consistit, divisit.

§. 33.

Præcipua collectio materialium juris naturæ fuerunt sæculo 12. iterum inventæ, & sensim fere in tota Europa receptæ ll. Romanorum (corpus juris civilis), quæ simul multa pro cultura juris naturæ in se continebant; statuebant enim hæc naturalia præcepta: honeste vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere. Excoli vero propter statum philosophiæ ejus temporis non potuit, solum sæc. 16. & initio 17-mi. in forma introductio-

---

*) *Michaelis* Mosaisch. Recht. VI. Th. Götting 1774. Rüdiger Lehrbegr. des Vernunftrechts. §. 28. seq.

nis in jus positivum aliqui *) jus naturæ systematice elaborare tentarunt.

§. 34.

Altera periodo maxima parte jus naturale Gentium elaboratum est. Quia quoad privata negotia decidenda non erat ita opus universali lege, cum hæc per existentes positivas leges civiles decidi poterant, quam quoad publica negotia, seu talia, quæ inter integras Civitates occurrerunt, cum pro decisione horum tantum paucæ, eæque indeterminatæ leges positivæ præsto fuerint. *Hugo Grotius* 1585 natus in Delft. jam 14. ætatis anno scriptor, magnum influxum in negotia publica habens, litibus religioso-politicis involutus, ad perpetuam captivitatem condemnatus est, unde opera uxoris suæ liberatus, in Galiam profugit, & ibi *libros tres de jure belli, ac pacis* conscripsit. Huic jus *objective:* est convenientia actionum cum rationali, & sociali natura hominis; *subjective:* facultas moralis, personæ competens, aliquid agendi (proprie jus), vel habendi (morale meritum). Ideo etiam juxta Grotium justitia in expletricem, & attributricem dividitur. Pro principio objectivo statuit propositionem: Age convenienter rationali, & sociali naturæ humanæ. Defectus ejus sunt: 1-o. confusio juris cum virtute; 2-o. intermissio demonstrationis singularium assertionum per suum principium; 3-io. conglomeratio auctoritatum; 4-o. pura composi-

*) *Jo. Oldentorpii* Isagoge Col. Agrip. 1539 & curante Martin. Vindob. 1758. *Nicol. Hemingii* de leg. nat. meth. apodict. Vit. 1564. *Math. Stephani* method. tract. de arte juris Gryphis: 1615.

tio materialium pro futuro jure naturæ in locum systematicæ elaborationis juris naturæ.

§. 35.

In hac periodo alter memorabilis vir est *Thomas Hobbesius*, natus in Malmesburg 1588, philosophicarum scientiarum magnus amator, ac in revolutione Regis sectator fuerat. Parisiis, quo discessit, elaboravit suum opus eo fine, ut suos concives ad obedientiam, regiæ potestati exhibendam, reducat, sub titulo: *De Cive*, unde majus opus enatum est: *Leviathan*, *seu de potestate ecclesiastica*, *& civili.* In re est jus naturale civile. Hobbesio jus: est libertas cujuslibet suis facultatibus, & viribus secundum sanam rationem utendi: Principium objectivum: Omne est justum, quod conservatio sui exigit. Jam cum determinari non possit, quo homo in omnibus circumstantiis pro sui conservatione carere possit, juxta illum habet quilibet jus ad omne, per quod inter homines horrendæ collisiones oriri debent. Nam facile evenire potest, ut duo idem objectum velint, & unus alteri cedere nolit. Hinc necessario orietur bellum, & quidem *perpetuum*, cum homines, si non in corporalibus, adminus in animi viribus æquilibrium servare possint, ac *justum*, cum propter conservationem sui geratur. Interim hoc jus omnium ad omne, indeque enatum bellum commune, est ineptum ad conservationem hominum; ideo debent potius pactum pacis concludere, quo promittunt, se juri, belloque communi renunciare, & jure ad aliquid contentari, ac unam supremam potestatem constituunt, quæ cuilibet objectum juris tribuat, & quemlibet in eodem tueatur. Atque

sic

sic juxta Hobbesium proprie tantum illud justum est, quod huic pacto pacis convenit. *Noli turbare pacem externam , quia pactus es.* Propter hanc theoriam, præcipue tamen, quia non intelligebatur, vel intelligi noluit, Hobbesium persequebantur. Ad jus naturale ejus opera referuntur propter status naturæ repræsentationem , quæ est unilateralis , propter statutam juris notionem, ac principium objectivum, quæ extra Civitatem nullum jus dari significant. Quia jus omnium ad omne, est jus nullius ad aliquid, h. e. nullum jus.

§. 36.

Maxima sunt *Samuelis Puffendorf* de jure naturæ merita. Hic in Saxonia ad Chemnitz 1632. natus, primus universum jus naturæ, cujus etiam Professor fuit in Heidelbergensi Universitate, in formam systematicam, licet romano juri nimis accommodatam, redegit, quod benemultis eruditorum tanti momenti visum est, ut eum juris naturæ patrem salutare non dubitarint. Conscripsit *Elementa juris prud. univer. De jure nat. & gent. libros* VIII. *De officio hom. & civ.* Puffendorf principio socialitatis systema juris naturæ superstruens omnes leges, adeoque moralitatem, legalitatemque actionum ex superiorum voluntate derivat.

§. 37.

Christianus Thomasius Lipsiis 1655. natus, absolutis theologicis, ac juridicis studiis præjudiciorum, abusuumque magnus oppugnator, Halam concedere coactus fuit, ubi qua Professor per increscentem multitudinem

studiosæ juventutis erectionem Universitatis promovit, ac duobus præcipue operibus inclaruit. In opere: *Institutiones juris prud. div.* sequebatur principium socialitatis, quam voluntas divina ab homine exigit. In altero autem opere: *Fundamenta juris nat. & gent.* felicitatem statuit pro principio humanarum actionum, & omissionum, unde triplex subordinatum principium derivat: *honesti*, *decori*, & *justi.* Postremi formula est: *Quod tibi non vis fieri*, *alteri ne feceris.* Hac formula primus innuit, officia coactiva a cæteris naturalibus officiis, quæ ad sua usque tempora simul in jure naturæ proposita fuerant, separanda esse, ac transitum ad tertiam periodum (ad determinatum systema) fundavit.

§. 38.

Paulo post Thomasium Gundling, & Gerhard *) sola jura, & officia coactiva ad sphæram juris naturæ pertinere docuerunt, quos sequebantur *Koehler*, & *Achenvall.* Interim etiam postea multi junctim tractarunt jus naturæ cum Ethica, ut celebris *Volf*, & hujus sectatores: *Nettelblatt*, *Daries*, *Hollmann*, *Martini.* Tantum successive determinatum systema vim suam obtinuit. At tanti hac periodo de jure naturæ scripserunt, ut non juxta ordinem chronologicum, sed juxta diversitatem finis, propter quem jus naturæ elaborarunt, & principii objectivi, unde processerunt, commodius referri possint.

---

*) Nic. *Hier. Gundlingii*, jus nat. & gent. Hal. 1714, 1728, & 1736. *Ephr. Gerhardi*, delineatio jur. nat. sive de principiis justi. libr. 3. Jenæ 1712.

§. 39.

Respectu *finis* advertimus, systemata juris naturæ, vel a *speculativis* philosophis parum sollicitis, an excogitata per se principia, & inde deductæ opiniones applicabiles sint, nec ne? vel ab *empiricis* legum peritis, veros limites, & stabile fundamentum hujus scientiæ non curantibus, adornata fuisse. Hinc evenit, ut posteriores in locum juris naturæ jus civile naturalisatum scripserint. Ad hos referuntur imprimis: *Samuelis Cocceji* novum systema justitiæ nat. & rom. Hal. 1748. *Dan. Nettelblatt* systema elem. un. jurispr. nat. Hal. 1748. *Schierschmid* elem. jur. nat. Jenæ. 1742.

§. 40.

Respectu *principii objectivi* systemata juris naturæ sunt vel *materialia*, vel *formalia*, prout materiali, vel formali principio innituntur. *Materiale* principium est, quod ex experientia deducitur. e. g. Omne est justum, per quod nullius perfectio turbatur. *Formale*, quod ex forma rationis, seu ex hac lege: Vita omnem contradictionem, hauritur. v. g. Omne est justum, quod ideæ socialitatis personarum non repugnat. Opera iterum cum materialibus principiis vel habent materialia principia *subjectiva*, ut: Jus est, quod cum nostris stimulis naturalibus *), vel cum ra-

*) Joh. Christ. *Claproth.* Grundriſs des Rechts der Natur. Götting. 1749.
Joh. Jac. *Schmauſs.* Neues System des Rechts der Natur. Götting. 1754.
Car. Ferd. *Hommel*. de jure, quod natura omnia animalia docuit Lips. 1747.
J. J. *Rouſseau*, in opusculo suo Emil, & aliis operibus.

tionali nisu ad felicitatem convenit, vel *objectiva*, v. g. Jus est, quod voluntati divinæ, per rationem cognoscibili, (finibus creationis *) aut universali felicitati, aut hominum perfectioni conforme est. **)

---

*) Treuer Commentar über Puffendorf. Leyd. 1769.
Henr. *Koehleri*, jus nat. exercit. VII. Jenæ. 1729.
Gottfr. *Achenvall*. jus nat. Götting. 1755.
G. *Heinecii*, jus nat. & gent. Halæ. 1749.
C. A. de *Martini*, posit. de leg. nat. Vindob. 1772. Exercit. 6 de leg. nat. Vindob. 1776.

**) Christ. *Volfii*, jus nat. meth. scientif. Part. VIII. Halæ 1740—1748. Instit. jur. nat. & gent. Halæ. 1750.
Joach. Georg. *Daries*, institut. jurisprud. univ. Jenæ. 1740.
Sam. Christ. *Hollmann*, jurispr. nat. primæ lineæ. Götting. 1751.
Adam Friedr. *Glafeys*, Vernunft- und Völkerr. Nürnberg. 1752.
J. J. *Burlamaqui*, Principes du droit de la nature & des gens. Geneve. 1741.
Alex. Gottl. *Baumgarten*, jus nat. Hal. 1763.
Chr. *Vestphal*. instit. jur. nat. Lips. 1776.
Joh. Mar. *Lampredi*, jur. publ. un. theoremata. Pisis. 1782.
J. F. *Feders* Grundlehre zur Kenntniſs des menschl. Willens. Götting. 1782. III. Abthl.
L. J. Fr. *Höpfner*, Naturr. 1787. Joh. A. H. Ulrich, initia phil. justi. Jenæ. 1783.
J. A. *Schlettwein*, Rechte der Menschheit. Giessen. 1784.
Natur- und Völkerrecht, entworfen von einen groſsen Staatsminister. Wien und Erlangen. 1790.
L. F. *Fredersdorf*, System des Rechts der Natur. Braunschweig. 1790.
D. *Morelli*, Rudim. jur. nat. & gent. Venetiis. 1791.
L. G. *Madihn*, Grunds. des Naturr. Frankf. an der Oder. 1790.
L. U. D. von *Eggers*, Lehrb. des Natur- und allgem. Privatr. und gem. Preuſs. Rechts. Berlin. 1797.
J. L. C. *Rüdiger*, Lehrbegr. des Vernunftr. Halle. 1798.
J. Ch. F. *Meister*, Lehrbuch des Naturr. Frankf. an der Oder. 1809.

§. 41.

Meritum scriptorum, materialibus principiis sua systemata superstruentium, est multiplex. Nam illi a) in jure naturæ sollicite omnia possibilia objecta in considerationem sumserunt, b) ea præcipue secundum rationem deciderunt, quorum usus in vita nostra habetur, c) notiones primas semper magis rectificare, perque statuta principia singularibus doctrinis semper majorem observantiam procurare nitebantur. Ideo tam necessitati practicæ subvenerunt, quam perfectionem juris naturæ multum promoverunt. Interim adhuc multa desiderabantur: 1-o. Stricta separatio juris naturæ ab affinibus scientiis: 2-o. Accurata determinatio supremarum juris notionum, & præcipue 3-io. tale principium objectivum, per quod ad dignitatem veræ scientiæ elevetur. Hoc unice juxta judicium Cantianorum per formale (ex forma puræ rationis haustum) principium obtineri potuit *). Respectu hujus formalis principii recenti ævo dupplicis speciei scriptores advertimus: nempe vel independens, vel a suprema lege morali absolute, aut relative dependens principium objectivum statuentes **).

---

*) V. *Hufeland*, Versuch über den Grundsatz des Naturr. nebst einem Anhange. Leipz. 1785.

**) Gottl. *Hufeland*, Lehrs. des Naturr. Jena. 1790. u. 1795. Theod. *Schmalz*, Recht der Natur. Königsberg. 1795. Ejusd. Erklärung der Rechte des Mensch. u. Bürg.; ein Commentar über das reine Naturr. u. natürl. Staatsr. Königsberg. 1798. Ejusd. Handbuch der Rechtsphilos. Halle. 1807.
Joh. *Schaumann*, wissenschaftl. Naturr. Halle. 1792. Ejusd. Versuch eines neuen Systems des natürl. Rechts. Halle. 1796.
Joh. Chris. *Hofbauer*, Naturr. aus dem Begriffe des Rechtes entwickelt. Halle. 1793 — 1798.

J. H. *Abickt*, Neues System aus der Menschheit entwickelten Naturr. Bayreuth. 1792. Ejusd. Kurze Darstellung des Natur- und Völkerr. Bayreuth. 1795.

K. H. *Heidenreich*, System der Naturr. Leipz. 1794.

Wilh. Gottl. *Tafinger*, Lehrsätze des Naturr. Tübing. 1794.

L. H. *Jakob*, philosophische Rechtslehre. Halle. 1795. Ejusd. Auszug aus der philosoph. Rechtslehre. Halle. 1796.

J. G. *Fichte*, Grundlage des Naturr. Jena u. Leipz. 1796.

Pörschke, Vorbereitung zu einem populären Naturr. Königsb. 1795.

Fr. v. *Zeiller*, natürl. Privatr. Wien. 1802. Qui sect. 3-a plurima opera jus naturæ systematice tractantia, & dissertationes de diversis materiis, ad jus naturæ spectantibus, enumerat.

Ch. *Krause*, Grundlage des Naturr. Jena. 1803.

Ant. *Thomàs*, Lehrbuch der natürl. Rechtswiss. Frankf. 1803.

Ch. *Veiſs*, Lehrbuch der Philosophie des Rechts. Leipz. 1804.

D. Ant. *Bauer*, Lehrbuch des Naturr. Marburg. 1808.

D. Fr. *Egger*, Das natürl. öffentl. Recht. 1-ten Bd. 1809. 2-ten Band. 1810.

Idem: Das natürl. Priv. Recht. 1815.

Amad. *Vendt*, Grundzüge der Philosoph. Rechtslehre. Leipz. 1817.

Vilh. Traugott *Krug*, Dikaeologie oder philosophische Rechtslehre. Königsberg. 1817.

JUS NATURÆ EXTRASOCIALE

LIBER I.

PARS I.

Jus Naturæ Extrasociale Singularium.

CAPUT I.

De juribus connatis, seu absolutis.

§. 42.

Sola ratione (§.§. 4. 5. & 13.) agnovimus, quemlibet hominem esse subjectum jurium. Modo ostendendum est, cujus speciei sint hæc jura, & quot ad singulam speciem jure referri possint. Jura pro diversitate relationum, in quibus homines, existere, cogitari possunt, diversa esse debent; hinc vel sunt *primitiva*, vel *acquisita*, prout homini in originario, *primitivo*, vel acquisito statu naturali (§. 19.) competunt. *Illa* vocantur etiam *connata*, *absoluta*, *universalia*, sunt enim ab ipsa natura homini, ceu enti sensualitate, & ratione prædito, concessa, nullo facto præcedente, & sine his homines tamquam personæ in terra, communi domicilio, degere non possent. *Hæc adventitia*, *hypothetica*, *particularia*; quia horum ratio in factis quibusdam posita est, & neque omnibus, sed

solum tale factum ponentibus competere possunt. Radix, & fundamentum omnium jurium cum naturalium, tum positivorum in juribus connatis quærendum est; ideo hæc in systemate juris naturæ principem locum sibi merito vindicant, ac systematica jurium connatorum expositio est jus *absolutum naturale.*

§. 43.

Omnia jura connata, ut ut diversa sint, intimo nexu copulantur, & ad primum, supremumque reduci possunt; quia hæc est natura principii cognitionis subjectivi (§. 10.). Hoc primum supremumque jus, seu *primitivum per eminentiam*, est *jus personalitatis*, h. e. jus dignitatem entis rationalis, & liberi conservandi, tuendique, seu prætendendi, ut homo tamquam subjectum jurium æstimetur: vel etiam libertas ad omnes actiones, quibus socialitas personarum non turbatur. Quamvis autem eminenter primitivum jus tantum unicum esse possit, potest tamen in jus *personalis subsistentiæ*, *personalis libertatis*, & *personalis æqualitatis* resolvi *). Quia vivere, quin agamus, & agere, quim vivamus, est impossibile; & cum hoc apud omnes homines indiscriminatim locum obtineat, patet, jus personalis subsistentiæ, & libertatis omnibus æquali ratione competere. Omnes enim respectu ejus, quod ad naturam essentialem hominis pertinet, sunt sibi æquales. *Jus personalitatis est* a) *omnium primum.* Quia si ulterius regrediamur, mentemque abstrahamus, incidimus vel in pure sensuale, vel in pure rationale ens, perdimusque essentialem notio-

*) Krug Rechtsl. Th. 1. §. 29.

nem subjecti juris: nempe, personæ, qua perdita; perdere etiam debemus notionem juris, ut pote personæ competentis; ergo jus personalitatis est omnium primum. b) *Supremum*. Ex eo enim omnia reliqua hominis jura excrescunt, prout id sequentibus §phis docebitur. Non immerito igitur *Cicero* jus personalitatis juris radicem appellat. Ab aliquibus hoc jus appellatur: *Jus legalis libertatis;* at non est consultum ita nominare; cum hac expressione sæpe aliud subordinatum juri personalitatis jus, nempe independentiæ, denotetur, vel *jus æqualitatis*. Verum male, nam hæc æqualitas non est per se subsistens jus, sed potius proprietas omnium jurium connatorum. Bene autem vocatur *jus formale;* quia immediate ex essentialibus notis hominis fluit, & formam, seu rationem omnium possibilium jurium exprimit.

§. 44.

Alia jura connata ex jure personalitatis fluentia *materialia* dicta; cum certum objectum (materiam) respiciant, tot dantur, quot objecta nostræ justæ activitatis reperiri possunt. Considerato hoc universo detegimus duo principalia objecta: *Personas*, & *res*. Pro persona haberi debet omne ens, in quo adsunt essentialia externa signa humanitatis, h. e. effectivus, vel saltem possibilis usus rationis (§. 2.). Quia etiamsi aliquis de præsenti usum rationis non habeat; tamen quia cessante certo impedimento, e. g. immatura ætate, usum rationis consequetur, vel saltem, quia pro certo affirmari non potest, e. g. amentem, aliquando usum rationis non obtenturum, pro persona habendus est. E contra reliqua objecta seu animata, seu inanimata, in quibus

possibilitatem usus rationis non advertimus, jure ut res tractantur, existunt enim propter rationalia entia, ut pro finibus eorumdem tamquam media applicari possint. Hinc patet divisio jurium connatorum materialium in *personalia*, quæ personam, & *realia*, quæ rem pro objecto habent. Et cum non tantum nosmet, sed etiam alios, penes nos existentes, pro personis agnoscamus, jura personalia subdividuntur in jura respectu *propriæ personæ*, & respectu *alienarum personarum*.

§. 45.

Inter jura respectu propriæ personæ primum jus est, cujus objectum est propria persona in *toto*, quod est *jus independentiæ*, seu jus nullum alienum imperium agnoscendi; proinde immunitas ab alieno externo-cogente arbitrio. Hoc jus competit cuilibet; quia affirmatio hujus juris convenit principio objectivo jurium, & juri personalitatis, negatio autem ejusdem (imperium) repugnat. Est etiam connatum; quia ad jus independentiæ cum principio objectivo conciliandum nullum factum juridicum præsupponi debet. E contra jus imperii indiget tali facto, nempe pacto expresso, vel tacito, vi cujus juri independentiæ renunciatur, & alienum imperium agnoscitur.

§. 46.

Reliqua jura connata materialia, quorum objectum sunt partes personæ, cognoscuntur ex *suo* hominis *interno*, quod efficiunt objecta, in regula juxta leges naturæ cum nostra persona connexa; estque vel *immediatum*,

seu tale, quod a natura præsto est, ut diversæ vires animi, & corporis, ac organa, quibus natura quemlibet hominem providit: vel *mediatum*, seu productum virium hominis, ad quod cuilibet per naturam jus concessum est, secus enim vires corpori, & animo inditæ, ac organa frustranea forent. Si jam ex jure personalitatis mediante jure independentiæ argumentemur, sequentia jura connata promanant: 1-o *Jus conservandi, & perficiendi corpus;* per id enim existentia personæ repræsentatur; proinde etiam jus conservandi sanitatem, ceu naturalem perfectionem corporis, & acquirendi dexteritatem, ceu accidentalem perfectionem corporis, præcipue propter felicitatem, cum evolutio, & cultura corporis partim per increscentem ætatem, partim per exercitium virium corporis obtineatur. 2-o *Jus conservandi, et perficiendi animum*, præcipue propter moralitatem, in animo enim est intima sedes personalitatis, et facultates animi ita, sicut vires corporis indigent evolutione, culturaque, proinde facultas cognoscendi, & appetendi vel aversandi tam superior, quam inferior, ratio igitur, & voluntas per exercitium virium animi, ac institutionem possunt perfici, hinc *jus liberæ cogitationis, et liberæ communicationis idearum* *).

---

*) Ad suum internum hominis cogitationes præcipue, & earum productum pertinere, quis negabit? Quilibet igitur jus habere debet suas cogitationes circa omnia possibilia objecta occupandi, & excolendi. De hoc jure nemo, nisi qui rationem negaverit, dubitare potest. At jus has cogitationes communicandi dubio subjicitur. Interim cum sine facultate communican-

3-*io Jus bonæ existimationis*, quatenus per illud nihil aliud intelligitur, quam facultas ab aliis exigendi, ut abstineant ab omni manifestatione judicii, qua nobis bona proprietas, in regula a natura competens, denegatur præsertim hæc: *Quod non simus lædentes.* Omnis enim juris læsio injustum in se claudit factum, adeoque in connato, vel primitivo hominis charactere non latet. (*Quilibet præsumitur justus, donec probetur injustus.* 4-o *Jus acquirendi positivam existimationem*, quæ est judicium aliorum bonum de nostra conformatione propter quasdam sive intellectus, sive voluntatis perfectiones, e. g. propter dexteritatem, fortitudinem, doctrinam; hoc enim jus est consectarium juris nos perficiendi. Horum jurium ratio sita est in eo, quod, quicunque conservationi, perfectioni, commoditati, & felicitati suæ studet, dummodo aliorum, eosdem fines persequentium, libertatem non coarctet, neminem violet, ac proinde jure agat, non vero in officio, quo

---

di cogitationes nostras non simus habituri motivum, stimulumque cogitandi, patet, propter evolutionem, & culturam facultatum animi jus liberæ communicationis idearum esse connatum. Dein cogitatio, & locutio sunt intime nexa, quæ enim est ratio inditæ a natura facultatis cogitandi, nisi ut excogitata aliis manifestemus? Denique libertas loquendi neminem lædere potest. Nam loquens sive verum, sive falsum dicat, quem obligat ad fidem sibi habendam? Loquentem tamen, aut scribentem, si sermone, aut scripto alicujus jus violet e. g. famam, vel securitatem, juri cogendi subesse, certum est.

quisque ad se ipsum conservandum, perficiendumque obligatur. Homo enim non jure tantum gaudet, officia quibus sibi obstringitur, custodiendi, sed absque metu justæ coactionis ea quoque agere potest, quæ his officiis adversantur. Qui e. g. moralitatem sensualitati postponit, mentis, & corporis virium culturam negligit, intemperantia in capiendis sensualibus voluptatibus corporis sanitati labem infert, atque finem vitæ accelerat, naturalia quidem perversæ vivendi rationis consectaria, conscientiæ remorsum, divinumque judicium timenda habet, non tamen ad contrariam vivendi rationem amplectendam cogi potest tamdiu, donec violando officia sibi ipsi debita alios secum in socialitate viventes non restringat, et in aliorum jura non involet. In ipsa etiam civitate immorales idgenus actiones eatenus tantum potestati coactivæ subjacent, quatenus vel publicæ, vel privatæ societatis civilis saluti perniciosæ agnoscuntur.

§. 47.

Respectu personarum alienarum jura connata materialia sunt: 1-o. Jus alienas personas in conservatione, & perfectione corporis, 2-o. in conservatione, & perfectione animi, 3-io. in conservatione bonæ existimationis, & 4-o. in acquisitione positivæ existimationis juvandi. Quia nostra activitas in omnibus his casibus est cum universali activitate conciliabilis, proinde hæc agendo principio cognitionis objectivo jurium conformiter agimus. At 1-o. invitis opem, & beneficia obtrudere, proximos nostros ad promovendos suos fines cogere, juris independentiæ violatio foret. 2-o injustos fines persequentium molimina juvare

non licet; nam jus cogitare ad effectuandam injuriam, est impossibile. Hoc jus aliorum curam gerendi imprimis se se manifestat in juvandis illis, qui ob maturioris ætatis, & necessariæ organisationis defectum, e. g. infantes, deliri, ebrii &c. fines sibi præfigere, aptaque ad eos assequendos media eligere, denique libere suo arbitrio uti nequeunt. Hi enim propterea non desinunt esse personæ, neque igitur possunt tamquam media ad nostros fines applicari, sed unice possunt ad suos proprios assequendos dirigi. Qui eorum nomine, & vice agit ea, quæ ipsi acturi essent, vel saltem agere deberent, si usum rationis haberent, tantum abest, ut jura eorum lædat, ut ea potius tueatur, adeoque juste, honesteque agat. Ex hac consideratione potest se ipsum occidere volens, quem momentaneo delirio laborare, vix dubitari potest, in executione sui propositi vi, et coactione impediri salvo propterea manente ejusdem jure independentiæ.

§. 48.

Ad jura connata *realia* clarius intelligenda necessarium est declarare, quid *re uti*, *rem habere*, & *possidere* significet? *Re uti* significat, applicare rem omni possibili ratione ad nostros fines cum exclusione aliorum: *rem habere* esse in tali relatione cum re, vi cujus physice possibile sit eadem exclusive uti: *rem possidere* rem habere cum proposito eadem exclusive utendi. Jam res, ad quas expressiones declaratæ applicari possunt, sunt duplices, *internæ*, quas jam natura cum nostra persona conjunxit, ut membra corporis, & *externæ*, quæ a nostra persona per natu-

ram separatæ sunt, & quas ratio, ceu media, diversis finibus, quorum nonnulli lege præcepti, alii arbitrarii sunt, assequendis inservientia, considerandas esse docet, e. g. belluæ, arbores &c. complexus talium rerum, ad aliquem pertinentium, constituit *suum externum*. Respectu *illarum* habemus indubitatum jus iisdem utendi, eas habendi, & possidendi, cum hoc fluat ex jure independentiæ, conservationis, & perfectionis nostri. Respectu *harum* vero competit nobis jus easdem apprehendendi, habendi, possidendi, & iis utendi, Quia hæc agendo nihil ponimus sive naturæ rerum externarum, cum sint media pro finibus hominum promovendis, sive universali activitati repugnans; quia hæ res a natura cum nemine sunt connexæ, ab artificiosa vero connexione per factum cum aliqua persona mentem abstrahimus, dum de juribus, homini in statu primitivo competentibus, loquimur. Ergo vi juris personalitatis, & principii cognitionis objectivi memoratum jus nobis competere, extra dubium est.

§. 49.

Ut jura connata hucusque exposita, & ex eorum analysi prodeuntia exercere, ac exequi possimus, debet nobis jus ad media, quibus impedimenta, conservationi, exercitioque jurium connatorum obstantia, removeantur, competere, quod est *jus persequendi;* secus enim inutilia, & vana forent omnia jura primitiva. Hinc jus persequendi est etiam connatum jus. Qui hoc jure utitur, conservandæ, tuendæque jurium suorum sphæræ studiosus est, neque pro injusto haberi potest. Media, quibus in statu naturali jus suum persequi li-

cet, sunt *coactiva*, & *non coactiva*. Ad non coactiva *jus securitatis*, & *præstationis damni* refertur. Securitas est status, in quo nostris juribus nullum periculum imminet, ergo jus securitatis consistit in facultate dispositiones faciendi, quibus futuræ jurium læsiones præcaventur, & propulsantur. Hoc jus continetur in jure persequendi; quia cogitari potest, ut hoc jure utens ad suam solum juris sphæram se restringat, & jus connatum tueri intendat e. g. propria sera habitationem suam occludendo. Apparatus, qui futuræ læsionis propulsandæ causa fiunt, justi censentur, si per eos libertas aliorum, quatenus hæc cum jurium nostrorum tutela subsistere potest, non limitatur. Sic propter meam securitatem in peregrinatione habeo jus me armis instruendi; at non habeo jus alium ab usu viæ publicæ prohibendi.

§. 50.

Jus præstationis damni supponit notionem damni, & præstationis. *Damnum* est quælibet deterioratio status nostri, seu omne malum ex violatione juris enatum. *Præstatio* est restitutio prioris status. *Jus præstationis damni* est jus exigendi restitutionem prioris status. Hoc jus esse connatum patet. Nam vi legis fundamentalis habemus jus exigendi a quolibet, ut quælibet imminutio juris nostri (damnum) intermittatur, proinde etiam illatum damnum, quantum fieri potest, infectum reddatur; quia, quod ratio in ortu reprobat, non potest ratihabere, dum existit: atqui illatum damnum tantum per præstationem, quantum fieri potest, redditur infectum, datur igitur jus præstationis damni, & quidem

con-

connatum, si eodem jus connatum violatum persequimur. Hoc jus in se complectitur jus *restitutionis*, & *satisfactionis*. Nam per quodlibet damnum aliqua res eripitur ex nostra juris sphæra, & per id status noster deterioratur; proinde penes præstationem damni id faciendum est, ut læsus cesset carere subtracto objecto, quod perfectissime fiet, si in individuo restitutum fuerit; hinc jus restitutionis. At fieri potest, ut impossibilis sit restitutio, ad impossibilia vero jus affirmari non potest, tunc communiter præsto est alia res ejusdem usus, & pretii cum subtracta re, per cujus traditionem læsus in priorem statum reponi potest; hinc jus satisfactionis, seu jus ad tradendam sibi alteram rem sublatæ, vel destructæ æquivalentem. Jus enim ad finem complectitur in se jus ad media justa. Neque potest exactio satisfactionis ex eo, quod læsus aliquid ex suo lædentis exigat, injusta videri; quia coram jure, objectum non est amplius meum, si eodem alteri tenear, licet illud possideam.

§. 51.

Restat determinare, ad quas species damni jus præstationis damni extenditur? Damnum in genere potest esse 1-o. respectu causæ *arbitrarium*, vel *nonarbitrarium;* prout in voluntate lædentis fundatur, vel non, & si agens hoc damnum pro fine actionis suæ habuit, est damnum ex *proposito*, seu *dolosum*, secus ex *non-proposito*, seu culposum 2-o. respectu objecti, quod deterioratur, potest damnum in *connatis*, vel *acquisitis* bonis fieri, potest esse *positivum*, vel *negativum*, prout subtractione objecti ad nos pertinentis, vel

eversione justæ acquisitionis oritur. 3-o. Respectu modi, quo infertur, potest esse damnum *commissionis*, vel *ommissionis*, prout ponendô, vel ommittendo committitur; potest esse *immediatum*, quod per se, vel *mediatum*, quod mediante alio infertur. Denique 4-o. respectu legis juris, *justum*, vel *injustum*, prout legi juris convenit, vel repugnat. De justo damno hic non quaeritur; quia, qui jure suo utitur, nemini facit injuriam. Itaque extra dubium est, jus præstationis damni ad injustum, & arbitrarium damnum extendi, & tantum adversus lædentem dirigi (§. 50). Si vero plures sint damni auctores, & actus sit *dividuus*, tunc quilibet, quantum nocuit, tantum præstare tenetur; si autem sit *individuus*, nec certa pars damni singulis possit assignari, tunc omnibus simulsumtis in solidum præstatio incumbit. Quia propter hanc unionem læso competit jus ipsos pro una persona, proin quemlibet pro auctore damni habendi; si enim hæc unio non fuisset, damnum ex toto emansisset. At, qui totum damnum præstitit, potest regressum facere contra suos socios, ut indemnisationem obtineat, his enim cum damno alterius locupletari non licet. Pretium denique damni læsus habet jus determinandi ita tamen, ut etiam lædens cum suis exceptionibus, adversus æstimationem factis, audiri debeat; cum ille sit dominus rei, hic autem independens, cui inaudito alienum judicium obtrudi nequit.

§. 52.

Dubium oritur, an propter nonarbitrarium e. g. per proles, dementes, furiosos &c. procuratum damnum in casu impossibilis restitutionis læso jus satisfactionis competat? Ab aliquibus

negatur, cum jus satisfactionis subjectivam injustitiam, nempe ex parte lædentis, supponat, quæ penes usu rationis destitutos non adest. Interim, si principium juris, quod externam conformationem omnium entium, quæ pro personis haberi debent non considerato eo, an de præsenti gaudeant usu rationis, nec ne, dijudicat, & decidit, spectemus, jure affirmare possumus, læso competere jus satisfactionis. Quia non negatur, læso adversus talem personam competere jus præventionis, defensionis, imo etiam præstationis in forma restitutionis, quin alia justificante ratione egeat, quam quod secus jus suum conservare, tuerique non possit. Atqui hæc ratio etiam tunc pro illo pugnat, quando de satisfactione agitur. Nam sensu juridico læsio juris durat tamdiu, quamdiu in casu impossibilis restitutionis satisfactio non evenerit, & per eam prior status restitutus non fuerit. Ergo juxta strictum jus nulli dubio subjacet, læso etiam propter nonarbitrarium damnum jus satisfactionis competere. Idem sentiendum est, si causa damni nonarbitrarii sit animal, vel res inanimata in alicujus dominio existens. Quia suum hominis externum non obstante eo, quod separatim existat, juxta legem libertatis est ita cum persona connexum, sicut internum, proinde ita potest pro causa physica damni per suum animal, vel suam domum procurati haberi, sicut quando damnum per membrum sui corporis procuratur. Proinde stricte sumendo jure a persona, cujus suum externum est causa nonarbitrarii damni, in casu impossibilis restitutionis satisfactio exigitur; cum hæc satisfactio sit aptum, & necessarium medium nostrum jus efficaciter conservandi, & tuendi.

§. 53.

Juribus connatis a multis duæ proprietates attribuuntur, nempe: *inalienabilitas*, & *æqualitas*: Ut primam proprietatem stabilire possimus, necessarium est scire 1-o. quid per *exstinctionem* juris intelligatur? Exstinctio juris denotat generatim talem eventum, quo jus validitatem suam ammittit. Si id eveniat indepedenter a voluntate jus habentis, dicitur *ammissio* juris, secus *alienatio*. Jus, quod neque illo, neque hoc modo exstingvi potest, est *necessarium*; si vero saltem per voluntatem jus habentis exstingvi non possit, est *inalienabile*, secus est *contingens*, *alienabile*: 2-do. his notionibus ad jura connata applicitis jus formale a reliquis juribus materialibus connatis distingvere. *Formale jus (personalitatis) est necessarium*, *inalienabile*. Quia hoc ex essentiali natura humana (sensualitate, & rationalitate) intelligitur; jam vero nec naturæ eventu fieri potest, nec libertate nostra efficere possumus, ut quamdiu vivimus, desinamus esse id, quod in essentia sumus. Dein denegato hoc jure homini nullum jus competere potest, cum jus personalitatis sit fundamentum omnium jurium; ut autem persona sine omni jure in communione cum sibi æqualibus existat, cogitari absque contradictione non potest. Nullum igitur dubium est, jus formale esse necessarium, inalienabile. E contra, *omne materiale jus connatum est contingens*, *alienabile*. Nam quodlibet ad suam existentiam præter essentialem naturam hominis peculiare objectum requirit, quod deesse potest sive casu, sive alio ab hominis libertate dependente modo. Sic possunt singu-

laria membra corporis, ad quæ jus connatum habemus, casu perdi, potest juri excolendi rationem, ut per mechanicas occupationes sustentatio procuretur, juri independentiæ ob securitatem jurium, & sustentationis renunciari, &c. Proin de nullo materiali connato jure affirmari potest, non esse contingens, alienabile. Tantum id verum est, nullum hominem absque omni jure materiali existere posse; destitueretur enim omni objecto, circa quod jus formale exercere, & exequi posset, taliterque ipsum jus formale pro ammisso esset habendum. Neque ex eo, quia jura connata generatim fundantur in natura humana, aut quia vocantur absoluta, sequitur omnia sine discrimine esse necessaria, inalienabilia. Nam natura humana alia est essentialis, alia naturalis in specie, seu communis, & tantum eo sensu jura connata dicuntur esse absoluta, quod ad eadem eruenda, & explicanda non sit opus facto acquisitionis.

§. 54.

De altera proprietate (æqualitate) jurium connatorum statuimus: *hanc æqualitatem esse solum abstractionem, non realitatem.* Nam abstracte considerata jura connata rationem suam habent vel in essentiali, ut jus formale, vel in communi natura hominis, ut jura materialia: primum nec perdi, nec alienari potest, posteriora supponunt peculiarem naturæ eventum, vel actum libertatis, si desint, quorum utrumque demonstrari debet, ne denegando alicui tale jus injusti evadamus. Ergo in abstracto sunt æqualia jura connata. Ideo etiam hæc æqualitas proprie tantum proprietas jurium connatorum est, non autem per se

subsistens, ab aliis juribus distinctum jus. Interim hæc æqualitas in juribus connatis excepto jure personalitatis non est realis. Quia hæc supponit existentiam perfecte æqualium corporis, & animi proprietatum, & externarum circumstantiarum, quæ neque in originario statu naturæ est reperibilis; sic a natura hebes potest ne jus, quod prudentiam, stultus, quod sapientiam supponit, sibi vindicare? Eominus hæc æqualitas admitti potest, si cogitentur homines diversa facta acquisitionis suscepisse; nam per occupationem rerum, per pacta, aliquorum jura restringi, aliorum ampliari debuerunt, per familias pro aliquibus imperium, pro aliis subjectio oriri debuit. Et tamen hæc facta ad existentiam, & durationem generis humani erant absolute necessaria. Patet itaque hanc æqualitatem esse solum abstractionem, non realitatem. At hæc abstractio habet suam utilitatem. Quia 1-o. docet nos, in omni homine cujuscunque miseræ conditionis humanitatem æstimare, ipsum, ceu morale ens, pro inviolabili & sancto habere. 2-o. Est fundamentum primævæ æqualitatis inter Gentes in suis mutuis relationibus. 3-o. Ducit nos in jure civili naturali ad maximi momenti principia. Denique 4-o. in ipso jure naturali singularium, & familiarum præbet rationem, cur aliqua jura, de quibus lis est, proba non indegeant; cum alter eorumdem, tamquam connatorum, existentiam agnoscere debeat, donec contrarium probatum non fuerit; cur item alia, ut sint valida, demonstrari debeant; cum hæc, ut acquisita, factis inhæreant, quæ alter vel non potest scire, vel vi suæ independentiæ de iis sollicitus esse non obligatur.

CAPUT II.

De officiis hominum connatis.

§. 55.

Juribus correlatæ sunt obligationes, & officia (§. 13.). Hoc igitur capite stricte tantum officia juris, seu *justitiæ*, (perfecta) pertractanda venirent. At cum tales sint possibiles modi externæ conformationis inter homines singulares, de quibus dubium oriri potest, an ad officia justitiæ, vel non referenda sint; Officia *æquitatis* (imperfecta) saltem ideo hic pernoscenda sunt, ut inde etiam officia justitiæ eo facilius discernantur. Officiorum æquitatis principium cognoscendi objectivum exprimitur sic: *Quodlibet ens rationale tracta ut finem.* (perfice alios (§. 17.) Ea nimirum est naturalis hominum infirmitas, atque imbecillitas, ut nemo semet ipsum perficere solus possit; alii itaque aliorum indigent opera, atque adeo singulis necessarium est vires, & facultates conjungere, ut ita propositum quisque finem consequatur.

§. 56.

Si efficimus, ut alter usu virium nostrarum propositum suum finem assequi possit, eum dicimur *juvare.* Et cum fines sive lege præcepti, sive arbitrarii ab hominibus vel plane non, vel saltem perfecte obtineri non possint sine communicatione facultatum nostrarum, consequens est, a natura cuique impositum esse munus aliis suppeditandi adjumenta. *Namque magis est secundum naturam pro*

*omnibus hominibus (Gentibus), si fieri possit conservandis, aut juvandis maximos labores, molestiasque suscipere, quam vivere in solitudine, non modo sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus abundantem omnibus copiis *).* Medium alios juvandi efficacissimum est: *Dilectio*, seu habitus voluntatis aliorum promovendi perfectiones, & *Amor*, seu propensio ad voluptatem ex perfectionibus aliorum capiendam.

§. 57.

Virtus alios diligendi tamquam semet ipsum *Caritas: (Philantropia)*; habitus vero caritatem per actiones externas significandi *Humanitas* vocatur. Ad actiones externas, ceu media humanitatem exercendi, refertur *Candor*, *Comitas*, *Civilitas*, *Festivitas*, atque *Misericordia.* Hinc patescit, expositas virtutes esse media ad officia æquitatis adimplenda; e contra aliorum *odium*, *inhumanitatem*, *invidiam*, seu tædium ex aliorum bonis ortum, *solipsismum*, seu *egoismum moralem*, qui in excessu amoris erga se positus est, officiis æquitatis repugnare. Non tamen sequitur, ut si caritatis exercitatio cum amore pugnet sui ipsius, alterum, si modo reliqua omnia sint paria, sibi ipsi esse præferendum. Atque hoc sensu verissimum est vulgatum illud: *Caritatem a semet ipso inchoare.* Quomodo enim aliis quisquam prodesse posset, si officia sibi ipsi debita negligeret.

§. 58.

Hæc officia æquitatis non solum erga *amicum*, seu qui nos amat, sed etiam erga *ini-*

---

*) Cicer. de off. III. 5.

micum, seu qui nos odit, nobis incumbunt; Inimici enim sunt ita personæ, sicut amici; proinde vi legis æquitatis nunquam ut media, sed tamquam fines sunt tractandi; neque etiam propterea, quia legem æquitatis naturalem violarunt, tribuerunt nobis jus eandem legem migrandi. Hinc sequitur eos esse nobis reconciliandos, aut saltem, ut minus noceant, emolliendos.

§. 59.

Mutuus hominum amor se se prodit potissimum, si alter alterius statum internum, & externum perficere adlaboret. Ad statum internum refertur intellectus, voluntas, & vires corporis. Inde fluit officium omnes cognitiones communicandi, a quibus perfectio status interni dependet. Ad statum externum imprimis positiva existimatio, rerumque omnium abundantia pertinet; nihil igitur prætermittere oporteret, quo æquius aliorum de aliis sit judicium, quoque nullus non ea, quæ ad suam necessitatem, utilitatem, jucunditatem pertinent, facilius consequatur. At invitis obtrudere beneficium non licet (§. 17.).

§. 60.

Qui his officiis non adhærescit, iniquitatis quidem, non autem injuriæ argui potest; neglectu enim idgenus officiorum, neque libertas aliorum injustis limitibus circumscribitur, neque jura eorum violantur; ideo etiam officia hæc omnem respuunt coactionem præsertim, cum horum essentia in interna legis reverentia consistat, quam nulla vi extorqueri posse, per se patet. Quapropter cujusvis ho-

minis judicio relinquendum est, an, & quomodo valeat aliis opem ferre; & quoniam nemo adhuc inventus est, cujus vires omnium necessitatibus levandis essent pares, licebit profecto, quod uni tribuitur, id ipsum alteri sine ulla injuria denegare. Qua in re gratitudinis potissimum est habenda ratio, ut paribus in causis ii, a quibus plura in nos sunt profecta beneficia, ceteris præferantur.

§. 61.

Quamquam vero officia imperfecta, ut meminimus, a coactione libera sint, fortissimæ tamen adsunt rationes hæc quoque adimplendi; qui enim æquitatis officia denegat, se odio aliorum exponit, & in perpetuo vivit periculo, ne jus iniquum alii in ipsum retorqueant. Ceterum fieri etiam potest, ut officia imperfecta, quatenus in actibus externis posita sunt, vel superioris *imperio*, vel *facto* quodam juridico nempe læsione, aut pacto in officia perfecta commutentur.

§. 62.

Expositis officiis æquitatis (imperfectis) ad propriam, ut supra (§. 55). innuimus, hujus capitis materiam, nempe officia justitiæ, officia juris (perfecta) transimus. *Primitivum (connatum) officium juris* est talis externa conformatio hominis, quæ propter jus connatum alterius est necessaria (§. 13.). Consistit vero *in abstinentia a violatione juris personalitatis*, quod violari potest per involationem in jus independentiæ, conservationis, & perfectionis tam sui, quam aliorum, per turbationem activitatis, qua res externas acqui-

rere, possidere, iis uti, ac quodcunque jus connatum defendere volumus. Et cum generatim omnis externa conformatio juri alterius repugnans, proin omnis transgressio officii juris *læsio juris* vocetur; ideo actiones, adversus jura connata directæ, merito *læsiones jurium connatorum appellantur*, quæ pro diversitate jurium connatorum a §pho 45-o. usque §phum 50-um. expositorum, diversæ sunt. Possibiles læsiones juris connati, personam in toto pro objecto habentis, (independentiæ) sua propria nomina habentes sunt: *subjugatio*, *raptus*, *sine jure facta captivatio hominis* &c.; læsiones autem reliquorum jurium connatorum materialium, partes corporis humani respicientium, vocantur: *homicidium vulneratio*, *mutilatio*, *stuprum violentum*, & *omnis indigna vexatio* &c.

§. 63.

Jura connata materialia non tantum corpus, sed etiam animum pro objecto habent (§. 46.); ideo etiam actiones, juri conservandi, & perficiendi animum repugnantes, sunt læsiones: tales sunt, quæ ad intellectum, & voluntatem corrumpendam diriguntur. Experientia enim nos docet, facultatem repræsentandi, judicandi, & concludendi per alienas actiones posse suffocari, impediri, in errorem induci, consequenter intellectum corrumpi, ac ab his actibus intellectus dependentem voluntatem ad illegales actiones flecti, & quidem partim per media physica, ut per potus narcoticos, partim & frequentius per diversas in animum factas impressiones, per falsas repræsentationes, irritantia exempla, & omnis

generis seductionem *). Interim ex eo, quod quis per alienam actionem in viribus animi labefactatus sit, non sequitur necessario adesse læsionem. Quia primo sciri non potest, an, et in quantum quis ad talia pronus fuerit jam ab indole e. g. ad homicidium ex vindictæ studio. Dein si supponatur usu rationis præditus fuisse, potuit actionis noxia consectaria prævidere, debuisset itaque contradicere e. g. potui narcotico sumendo, aut obscœnis repræsentationibus audiendis, vel videndis, non autem assensum præbere; proinde in certis casibus plane non, vel saltem difficulter potest determinari, an non talis labefactatio animi etiam citra influxum alterius evenisset ex variis internis, vel externis causis. Attamen ex his rationibus non omnis potest semper excusari præsertim, si ex circumstantiis personarum, loci, temporis, adhibitorum mediorum &c. noxiis influxus pateat, consequenter etiam jus ad præstationem damni, vel justas ordinationes contra idgenus seductores e. g. corruptores morum juventutis, amorum conciliatores, primipilos clare agnosci possit, ac debeat.

§. 64.

Ut decidere possimus, an mendacium pro læsione juris connati, vel acquisiti habendum sit? necessum est scire, quid mentem declarare, seu loqui significet, & quid veritas sit, cum hinc notio mendacii dependeat. Qui actionem animæ internam, veluti cogitationem, aut volitionem, alteri notam facit, *men-*

*) Conf. Car. Aug. Tittmann dissert. de delictis in vires humanas commissis. Lips. 1795.

tem suam declarare dicitur. Est autem mentis declaratio alia *expressa*, si verbis, seu sonis articulatis, scriptura, vel quibuscunque aliis certis, ac determinatis signis, veluti maniloquio, pediloquio utamur, alia *tacita*, quando ea facta ponuntur, ex quibus habita loci, temporis, ac reliquorum adjunctorum ratione agentis intentio probabiliter colligitur, juxta id, quod plerumque accidit. *Veritas* generatim est vacuitas a repugnantia, contrarium est *falsitas.* Utraque vel est *objectiva*, vel *subjectiva*, prout adest convenientia, vel disconvenientia locutionis nostræ cum objecto, vel cum mente nostra. Quibus præmissis *mendacium* est falsa declaratio mentis nostræ alteri facta. Et cum falsitas alia objectiva, alia subjectiva sit, consequens est, mendacium quoque aliud esse *objectivum*, aliud *subjectivum*, prout loquens non sciens, vel sciens falsa dicit. Sine dubio utraque species mendacii potest deteriorationem sui interni, & externi procurare; ut pote afflictionem animi ob delusionem nostri, & si bona fide insistamus falsiloquiis, ammissionem fidei nostræ, vel explosionem super credulitate nostra. *Attamen non omne mendacium pro læsione juris est habendum*, & quidem *non objectivum.* Quia secus officium esset fere penitus a communicandis nostris repræsentationibus abstinere, cum valde raro certi esse possimus, utrum non ab aliis, vel ab apparentia objectorum decipiamur; sed tale officium ex lege juris fundamentali non fluit, siquidem dentur adhuc alia media concesso etiam mendacio objectivo, ad suum cujuslibet inviolabile reddendum: nempe providentia audientis. Imo potius manifestatio nostrarum sensationum cum periculo objectivum mendacium committendi,

considerando principium objectivum juris, non debet pro injusta actione haberi; cum, possit tamquam usus libertatis cum universali conciliabilis, & tamquam præcipuum medium ad consequendos, & promovendos hominum justos fines cogitari. *At nec omne subjectivum mendacium potest ut læsio juris considerari.* Quia præter id, quod certum non sit, an error etiamsi loquens mentitus non fuisset, non evenisset, dantur etiam tales casus, in quibus mentiens fundate se ad consensum audientis provocare potest e. g. cui prædixit se falsa locuturum, vel fieri potest, ut ab inchoata læsione lædens astu, hoc est mendacio, jure contineatur, e. g. si furiosis nobis, vel sibi nocere volentibus falsa loquamur. At ubi auctor damni e. g. erroris certus est, & provocatio ad consensum in idem damnum, ut apud homines, quibus potentia consentiendi deest, vel saltem demonstrari non potest, quod voluerint, locum non habet, tunc omnino subjectivum mendacium est læsio jurium connatorum. Et si per juridicum factum nempe expressum, vel tacitum pactum v. g. cum præfecto, magistro &c. generatim jus ad subjectivam veritatem loquentis acquisitum sit, tunc subjectivum mendacium est læsio juris acquisiti. Hinc suapte fluit, an, & quatenus jus connatum ad veracitatem detur, an non potius idem hypotheticis juris relationibus innitatur.

§. 65.

Jus connatum bonæ existimationis (§. 46.) læditur imprimis per *calumniam*, seu manifestationem, qua ex proposito alicui injusta actio false assignatur. Quamvis enim nemo

impediri possit, ne interne malum quid de nobis cogitet; tamen falsum suum judicium manifestandi jus non habet. Si autem talis sit manifestatio, qua nobis non tantum læsiones juris, sed etiam morales, vel physici defectus seu ex proposito, seu ex non proposito in detrimentum nostri false assignantur, injuria committitur. Si hæc manifestatio sit vera, nulla adest læsio, quia materia, objectum juris non exstitit. De cætero seu *reales*, in ignominiosis actibus, corpori illatis, seu *verbales*, in ignominiosis verbis consistentes, seu *symbolicæ*, per signa diversa declaratæ, *injuriæ* fuerint, nullum discrimen faciunt respectu læsionis. Gravissima autem eorum est calumniandi ratio, qui vaga utuntur criminatione, ac vitia generatim, & indefinite alicui attribuunt. Læsiones denique positivæ existimationis efficiunt injurias ad jus hypotheticum naturale pertinentes.

§. 66.

Jura connata nobis respectu alienarum personarum competunt (§. 47.). Qui itaque nostræ liberæ activitati impedimentum ponit, dum alios in conservatione, & perfectione corporis, ac animi, in conservatione negativæ, & acquisitione positivæ existimationis juvare volumus, committit læsionem personalium jurium connatorum, quorum objectum sunt nostri cohomines. Ita etiam, qui impedimentum ponit, quominus rebus uti, eas habere, & possidere possimus, violat jura connata realia (§. 48.). Denique si impediamur in coordinationibus pro securitate jurium nostrorum faciendis, aut si denegetur nobis præstatio damni, lædimur in jure persequen-

di. (§. 49.) Generatim vero violantur jura connata, si quis sibi *prærogativam*, jus unius præcipuum, seu quo quis præ aliis, pari cæteroquin jure utentibus, gaudet, aut *præcedentiam*, jus prioritatis in ordine a pluribus simul observando, vindicet; cum jura connata abstracte considerata omnibus æqualiter competant. (§. 54.)

§. 67.

Quoniam vero in notione juris etiam exercitium ejusdem, proinde remotio impedimentorum continetur, patet eum quoque esse lædentem, qui alterum impedit, ne jure suo utatur. Quare, si justi esse volumus, ne quis quodcunque jus suum exerceat, atque aliquam acquirat perfectionem, non simus impedimento, neque illorum, qui præstare aliis auxilia, aut mala ab iis avertere student, conatus remoremur. Verumtamen, qui ab eo, cui infertur, non propulsat injuriam, non est injustus. Etsi enim cuilibet opem ferre, & mala ab eo avertere omnium sit officium, id tamen caritatis est, non justitiæ, cui jam satisfaciunt, qui abstinent ab alieno. Atque propter hanc ipsam causam, qui alterius imperfectiones sermone aliove signo arcere poterat, si tamen id facere prætermittat, caritatem quidem violat, ast propterea actionis injustæ auctor nequit declarari.

§. 68.

Ad hæc officia adimplenda gravissimo impellimur motivo. Lædens enim tribuit jus cogendi læso adversus se. (§§. 12. 14.) An autem qualiacunque media coactiva adversus læ-

sum

sum adhibere sit licitum, dicetur alibi, ubi etiam ostendetur, jus persequendi cum suis consectariis non posse pro jure, per se subsistente, haberi.

CAPUT III.

De juribus acquisitis, in specie de jure factitio, seu ex occupatione enato.

§. 69.

Acquirere jus significat, nostram juris sphæram ampliare, & aliorum restringere. Quod, nisi velimus esse injusti, nonnisi supposito quodam facto fieri potest; hinc *jura acquisita* sunt, quæ homini competere sola ratione intelliguntur posito quodam facto, & systematica eorumdem expositio est objectum *juris hypothetici naturalis.* Qualibus vero factis acquisitio juridice possibilis sit, ostendit nobis natura objectorum hujus mundi; quæ sunt personæ, & res. Personæ propter jus personalitatis, utpote inalienabile, sunt inacquiribiles. Proinde omne acquiribile tantum res esse potest. Sub re jam vires nostrorum cohominum, earumque productum (actiones), jam entia irrationalia, seu res sensu stricto intelliguntur. In vires, actionesque nostrorum cohominum per nostrum arbitrium (unilaterale factum) jus acquirere non possumus propter jus independentiæ, sed requiritur etiam illorum consensus. E contra in res sensu stricto per unilaterale factum (occupationem) jus acquiri potest. (§. 48.) Duplex itaque factum est possibile jura acquirendi, nempe unilaterale, seu *occupatio*, & bilaterale, seu *pactum.* Ideo recte omne jus ac-

quiribile in *factitium*, & *pactitium*, utrumque distincto capite pertractandum, dividi potest.

§. 70.

Inter jura acquisita primum est *jus dominii*, quod est jus exclusivum de re aliqua, hoc est de substantia ejusdem, & consectariis pro arbitrio disponendi. Res, quæ est objectum hujus juris, vocatur *dominium*, jus habens *dominus*. Jus dominii non esse connatum, sed acquisitum, patet. Nam jus dominii cum juribus connatis stat in contradictione; quia vi jurium connatorum quilibet qualibet re externa pro arbitrio uti potest, vi juris dominii autem domino competit jus omnes reliquos ab usu rei excludendi. Ipsa vero acquisitio dominii duplex cogitari potest, *immediata*, (originaria) h. e. acquisitio rei ex manu naturæ; & *mediata* (derivativa), seu acquisitio ex manu illius, qui jam in illam rem jus exclusivum habuit, proinde ex secunda, aut ulteriori manu. Hæc usitatissima est, propterea tamen in jurisscientia illam præterire non debemus, tam ideo, quia etiam originaria interdum occurrit, quam, quia in originaria justa existentia derivativæ acquisitionis sita est.

§. 71.

Penes omnem juris acquisitionem duo demonstrari debent: primo sufficiens ratio possibilitatis acquisitionis, quia impossibile existere non potuit, & hanc rationem juristæ vocant *titulum* acquisitionis: dein ratio sufficiens existentiæ ejusdem, quia ex eo, quod

sit possibile, non sequitur necessario existentia ejusdem, & hanc rationem juristæ vocant *modum* acquisitionis. Hinc circa originariam acquisitionem duæ maximi momenti quæstiones oriuntur. *Una:* an possit singularis homo propter jus ad usum rerum nullius, æqualiter omnibus hominibus competens, certas res auctoritate propria sine consensu aliorum occupare? seu quis titulus originariæ acquisitionis? *Altera:* per quale factum acquiritur dominium rerum nullius? seu quis modus originariæ acquisitionis?

§. 72.

Titulus originariæ acquisitionis dominii objective in primitiva destinatione rerum, subjective remote in jure personalitatis, proxime vero in jure connato rebus utendi, situs est. Nam rerum externarum destinationem hanc esse, ut a rationalibus entibus ad futuros ita, sicut ad præsentes, generatim itaque ad arbitrarios, & non tantum ad communes, sed etiam ad privatos fines, consequenter exclusive applicari possint, sola ratione agnoscimus. Ergo ratio sufficiens possibilitatis, seu titulus originariæ acquisitionis objective in primitiva destinatione rerum positus est. Dein vi juris personalitatis competit nobis jus connatum rebus externis utendi. (§. 48.) Proinde libertas respectu usus rerum externarum, si hæc cum universali libera activitate est conciliabilis; atqui usus arbitrarius rerum externarum cum exclusione aliorum est cum omnium libera externa activitate conciliabilis. Si enim contrarium affirmetur, res externæ usui hominum subtrahentur, taliterque libera externa activitas sine necessitate

restringetur, & cum hoc subsistere nequeat, quia juri naturæ, objectis ad arbitrarios fines utendi, omnibus hominibus a ratione concesso, adversatur, & contradicit, alterum verum sit, necesse est. Verum igitur est titulum originariæ acquisitionis subjective consideratum remote in jure personalitatis, proxime vero in jure connato rebus utendi situm esse.

§. 73.

Modus originariæ acquisitionis dominii in parte consistit in apprehensione. Rem apprehendere est illam ita suæ potentiæ subjicere, *redigere in suas vires physicas*, ut usui possit servire cum aliorum exclusione. Quia si quis contra voluntatem ejus, qui semel rem tenebat, qualemcunque dispositionem super eadem re faceret, apprehendentem in executione juris connati rebus utendi impediret, & in jus connatum, quod quilibet ad suas vires, earumque productum habet, involaret, consequenter lædens evaderet. Ergo apprehensio saltem tamdiu, quamdiu res ab apprehendente tenetur, pro modo originariæ acquisitionis dominii haberi debet. Interim apprehensio sola non sufficit ad dominium fundandum; cum per dominium intelligatur jus exclusivæ, & arbitrariæ dispositionis super aliqua re, nullatenus ad tempus detentionis, possessionis physicæ restrictum, sed ultra durans. Ideo ostendendum est, an, & quomodo illud per apprehensionem ad rem acquisitum jus, quin sit res in physica possessione, durare? quomodo quis, si alter re eadem utatur, lædi possit, licet res jam non sit cum illo nexa, vel saltem non appareat in nexu? *Jus per apprehensionem inchoatum tamdiu durat, quam-*

diu voluntas apprehendentis ab aliis omnibus, exstincta etiam physica possessione, pro durante haberi potest. Quia hæc propositio exprimit normam agendi, penes quam libertas respectu usus rerum externarum quam maxime salva manet, per id solum restricta, ne res prius alicujus nondum exstincto juri subjecta sit, quod legi fundamentali juris convenit. Si vero id affirmetur, quod jus exclusivæ & arbitrariæ dispositionis super rebus, exstincta possessione physica, exstingvatur, libertas omnium hominum respectu usus rerum externarum nimis restringetur, & quidem sine necessitate, quod legi fundamentali juris repugnat. Nam res, quæ apprehendi possunt, sunt vel *immobiles*, seu tales, quæ plane non, aut saltem, quin transmutentur, ex loco ad locum transferri non possunt, vel *mobiles*, seu tales, quæ possunt transferri. Jam respectu utriusque speciei rerum advertimus, ex iisdem a nobis semper tantum exiguam partem, neque hanc continuo possideri posse; si igitur super immobili, aut mobili tantum eatenus disponi posset, quatenus illud physice possidetur, non aliud exigeretur, quam ut ille, qui certo terreno exclusive uti vellet, in omnibus ejus partibus omni tempore ad semel reperiatur, & rem mobilem semper manibus teneat, quod significat libertatem omnium hominum respectu rerum externarum, pro privatis finibus applicandarum, nimis restringere, vel plane exstingere. Hinc sequitur, tantum tunc liberum usum rerum externarum mansurum, si ad acquisitionem dominii physica possessio non requiratur, sed sufficiat *juridica*, seu ex voluntate apprehendentis intelligibilis. Ergo verum est, jus per apprehensionem inchoatum tamdiu durare,

quamdiu voluntas apprehendentis per alios cognoscibilis, rem apprehensam porro quoque possidendi, durat. Interim, ut hæc voluntas, quæ pro apprehendente jus, pro aliis vero obligationem fundat, cognoscatur, requiritur actio externa objecto durabilem notam imprimens, unde conjici possit, apprehendentem, licet in ejusdem physica possessione non sit, adhuc intentionem habere, rem illam exclusive, & arbitrarie pro se applicandi, breviter *signatio.* Itaque tria sunt requisita originariæ acquisitionis dominii: 1-um est *objectivum*, ut nempe objectum immediate sit acquiribile, quin aliorum jus violetur, 2-um, & 3-um est *subjectivum*, quia subjectum acquirens spectat, nempe *apprehensio*, & *signatio:* apprehensione incipimus declarare, voluntatem nos habere de objecto disponendi cum exclusione aliorum: signatione declaramus, nos velle objectum adhuc ut proprium habere, licet jam non sit in physica possessione. Hæc tria requisita originariæ acquisitionis dominii simul connexa efficiunt *occupationem*, h. e. apprehensionem objecti immediate acquiribilis cum intentione, per signationem declarata, illud porro ut proprium habendi. Ideo *occupatio est modus originariæ acquisitionis dominii.*

§. 74.

Occupatio erit modus originarius dominium acquirendi, si ex parte requisitorum originariæ acquisitionis nihil defuerit. Ideo hæc magis evolvi debent. *Primum* consistit in eo, ut a) *objectum sit nullius dominii*, erit autem id, si non fuerit persona, quæ ipsa juribus gaudet, deinde si nemo adhuc ad rem

occupandam propius, & exclusivum jus sibi comparaverit, secus occupatio foret vera læsio juris, per quam sine manifesta contradictione jus acquiri nequit, b) *exhausti usus*, hoc est tale, quod usu consumitur, & quo solus frui valeas, quin universalem libertatem restringas. Rerum enim inexhausti usus ea est natura, ut communia manere possint, c) *apprehensionis, & signationis capax*, quia secus voluntas occupandi externe nulla erit, consequenter nulla connexio objecti cum persona apparebit, *in jure enim non esse, & non apparere, idem est.* Parum autem refert, an res occupanda animata, vel inanimata, corporea, vel incorporea (jus), an semper nullius, vel jus exclusivum in eam quocunque demum modo exstinctum fuerit.

§. 75.

Alterum requisitum (apprehensio) dependet a) *ab externo facto*, factum enim est fundamentum acquisitionis (§. 69.). Si nullum factum supponatur, adest status naturalis absolutus, in quo æquale jus est omnium ad rem, b) *a voluntate* rem exclusive & arbitrarie pro se applicandi, secus quomodo posset in usu, quem quis in re habere vellet, restrictio nostri arbitrii, quomodo jus ex una, ex alia vero parte obligatio cogitari? c) *a facto tali*, ex quo omnes reliqui voluntatem nostram cognoscere possint, *Non enim animi actu solo*, ut Grotius ait *) *res in proprietatem iverunt; neque enim alii scire poterant, quid alii suum esse vellent, ut ab eo abstinerent; & idem velle plures poterant.*

*) De jur. b. & p. II. 2. §. n. 4.

Hinc interna solum voluntas non sufficit, sed debet declarari per naturalia ab omnibus hominibus cognoscibilia signa. Ergo, ut apprehensio tamquam præliminarius actus acquisitionis dominii sit, debet in facto, cui *naturale*, (universaliter cognoscibile) *sufficienter determinatum*, & *objecto inhærens signum* insit, consistere.

§. 76.

Tertium requisitum (signatio) æque consistit in externo cum apprehensione conveniente facto, voluntatem dominium habendi, ut *durabilem*, & non ad tempus physicæ possessionis restrictam promulgante. Ideo signum præter supradictas proprietates etiam proprietatem *durabilitatis* habens exhibeat; est necesse. Hinc patet, non omne artificiosum signum e. g. prolata verba, cum rei nullam permanentem notam imprimant, sufficere, sed requiri signum in eo consistens, ut per naturales vires, vel adjunctionem rei, ad nos jam pertinentis, talis nota objecto imprimatur, quæ ipsi a natura non inerat, & quæ præter proprietates, priori §pho allatas, hanc quoque habeat, ut etiam exstincta physica possessione non exstingvatur.

§. 77.

Inter modos signationis præcipuus potest esse *formatio*, h. e. actio, qua objectum nullius dominii aliam formam obtinet, quam a natura habuit; quia taliter notam supradictis proprietatibus instructam facillime obtinere potest. At pro unico modo signationis, vel plane omnis originariæ acquisitionis, ut quidam

volunt, non potest statui. Quia si 1-ō sub formatione *specificationem* generatim, qua nimirum res in aliam classem rerum reponitur, & aliud nomen consequitur, tunc contra intentionem defensorum hujus sententiæ signatio angustis limitibus coarctabitur; si vero 2-o. talem specificationem, quæ notabilem impensionem ex nostro exigit, tunc assertum ipsorum propter indeterminatam vocem *notabilis* non est satis firmum; si denique 3-io. productum qualiscunque impensionis virium, vel rerum, ab omni adhibendarum, ut objectum sibi proprium reddat, intelligant, tunc formatio convenit cum signatione generatim. Ergo formatio nullo sensu potest pro unico modo signationis, & eominus pro unico modo originariæ acquisitionis statui eo sensu, quod in apprehensione neque initium juris dominii situm sit. Quia si jus dominii cum apprehensione non inciperit, formatio impendetur in objectum nullius dominii; proinde etiam formatio tamquam accidens cum substantia erit nullius dominii. Nam sola ratione non agnoscimus, rem alienam ideo, quia ipsam transformavimus, evadere nostram. Ergo ad initium dominii acquirendi sufficit sola apprehensio, & ad complendam acquisitionem dominii præter formationem alii adhuc apti modi signationis dantur. Signatio esse potest quoad *belluas*, si trajiciantur, vulnerentur, capiantur, vel terreno proprio includantur, aut cicurentur: quoad res *mobiles*, si colligantur, custodiantur, transformentur, specificentur: quoad *immobiles*, si iisdem inædificetur, sæpibus cingantur, lapidibus finitimis muniantur: quoad *jura*, si continuatio exercitii juris pateat. Ad evitandos errores, quibus dubia dominii signa occassionem præbere solent,

& ad præveniendum litibus circa meum & tuum oriundis; bonum est, si homines inter se de signis, dominium indicantibus, conveniant. Ideo certum est, omne dubium circa talia signa nonnisi in Civitate per determinatas dispositiones tolli posse; at propterea non sequitur, jus dominii ex effectu societatis civilis esse derivandum, societas enim civilis dominii titulum non creat, ut Rousseau erronee docuit, sed societas civilis dominium tantum conservat, & tuetur.

§. 78.

Limites occupationis, seu quid, & quantum quisque occupatione acquirere possit, vel ex lege naturali physica, vel libertatis lege, & quidem vel ethica, vel juridica erui possunt, nos dicimus quantitatem objectorum occupandorum lege naturæ ethica non esse restrictam ita, ut cuivis tantum nonnisi occupare liceat, quantum opus est ad aliquod officium ethicum e. g. sui conservationem, adimplendum. Quia qui contrarium tenent, meminisse debent, jus hominis in genere, & jus occupationis in specie ethicis ejus obligationibus, e. g. obligatione se conservandi, non niti, & non ad solos tantum præceptos, ac cum officiis ethicis consentientes, sed ad omnes arbitrarios fines effectui dandos sese extendere. Neque eorum sententia nobis probatur, qui quantitatem rerum occupandarum physicis limitibus circumscribi, i. e. ab unoquoque tantum occupari posse, docent, quantum tueri, & conservare valet. Præterquam enim, quod jus, ceu facultas moralis, a potentia, seu facultate agendi physica, probe sejungendum sit; cum ex eo, quod actio physice

possibilis sit resistente nemine, non sequatur, ut ea possibilis sit quoque moraliter, etiam stante hoc principio verum permanensque dominium sine ulla ratione impossibile declararetur. (§. 71.) Quare quantitatem rerum, quæ occupando acquiruntur, sola juridica lege limitari, id est, tantum ab unoquoque occupari, & dominio suo inseri posse, statuimus, quantum juridice possidere, & conservare valet. Propterea tamen non defendimus jus occupandi esse illimitatum, quod æquali cæterorum juri adversaretur. Quia etiam habendi cupidissimus intra statutos mere juridicos limites omnia abripere nec potest, nec volet, non *illud*, quia omnia apprehendere, & sufficienter signare non valet, non *hoc*, quia id sine continuis sumtibus fieri non posset, qui perditi videbuntur, quamprimum per eosdem major rerum copia parabitur, quam quæ ad indigentias sive veras, sive fictitias necessaria est. In statuendis igitur occupationis limitibus sequens principium observandum: Justa occupationis mensura a possibilitate apprehensionis, & durabilis signationis definitur. Sed non spectata tantum quantitate, sed qualitate etiam objectorum occupationi limites scribuntur, sequenti regula contenti: Nullum objectum est originaliter acquiribile, quod vel alicujus juri exclusivo subjacet, vel inexhausti usus, vel nullius apprehensionis, vel nullius signationis capax est. (§. 73. & 74.)

§. 79.

Occupationis effectus juridici alii *immediati* sunt, *mediati* alii. Ad immediatos refertur *jus dominii*, occupatio enim, ut ex

præcedentibus patet, omnia in se complectitur requisita, quæ ad dominium fundandum necessaria agnoscuntur. *Hinc*, *qui prior tempore*, *potior jure*, quia qui prius rem occupavit, prius jus dominii acquisivit, & vi hujus competit ipsi jus quemlibet ab eadem re excludendi. *Mediatus* vero occupationis effectus est *proximus*, & *remotus*. *Ille* in materialium jurium inæqualitate consistit, quia hæc jura pro diversitate circumstantiarum, virium animi, & corporis, quibus eadem acquiruntur, vel perduntur, diversa esse debent. Hæc inæqualitas sine injustitia nec tolli, nec revera sublata diu durare potest. *Hic* est necessitas juri connato independentiæ renunciandi, & se privatæ, ac publicæ potestati subjiciendi, seu *dependentia*, & *imperium*. Qui enim vel casu, vel sua culpa nihil, vel parum bonorum possidet, necessaria sui conservandi media paraturus, & saluti suæ consulturus, connato juri independentiæ renunciet, seque privatæ ac publicæ potestati subjiciat, est necesse. Ambiguæ enim, ut ex allatis facile intelligitur, sunt in statu naturali pleræque apprehensionis species, media signationis indeterminata, ac dubii acquisitionis limites, multisque partim veris, partim ex vehementioribus animi motibus ortis contradictionibus obnoxia dominii probandi media. Unde elucet necessitas potestati publicæ semet subjiciendi, quæ per leges suas jus cujuslibet accuratius determinet, per potestatem judiciariam, ab omni partium studio alienam, omnia dominii acquisitionem spectantia rite definiat, ac per potestatem executoriam debilissimum quemque etiam adversus potentissimum tueatur.

§. 80.

Adversarii nostræ theoriæ de originaria acquisitione in duas classes dispesci possunt. Ad primam referuntur, qui in statu naturali dominium quidem acquiri posse docent, sed vel alium, quam nos titulum, vel modum simul acquirendi diversum a nostro statuunt. Alteram classem constituunt scriptores, qui in statu naturali nullum, vel imperfectum tantum dominium acquiri potuisse docent. Primæ classis adversariorum nonnulli, pacto divisionis dominium invectum fuisse, opinantur, alii occupationis titulum in ethico sui conservationis, & perfectionis officio, vel in ea, quam genus humanum ex dominii introductione capit, utilitate quærendum esse, volunt. Qui pacto divisionis dominia rerum in statu naturali oriri potuisse affirmant, hoc duplici motivo ducuntur: 1-o. originaliter omnes res externæ pro communi bono haberi debent, i. e. bona terrestria in medio posita erant, & non magis ad hunc, quam ad alium pertinebant. At ex tali bono nemo sibi potest propria auctoritate (occupatione) partem aliquam exclusive vindicare. 2-o. occupatione unus plus, quam reliqui, proinde etiam tantum acquirere posset, ut hi plane in jure se conservandi impediantur, quod injustum est.

§. 81.

Propter has difficultates solvendas antiquiores juris doctores rectam introductionem dominii ante civilem nexum declarant sequenti modo: Initio non erat sufficiens ratio dominium rerum introducendi, & a communione recedendi; cum solo usu naturæ productorum

hominum necessitati in tanta eorum paucitate, ac rerum abundantia consultum fuerit. Verum aucto genere humano sola naturæ producta neque strictæ necessitati hominum suffecerunt, debuit itaque cultura & industria hominum defectus naturæ productorum suppleri: cultura vero rerum propter inclinationem hominum ad acediam penes communia bona sperari non potuit; cum illi, qui nihil operæ contulissent, cum aliis, qui industria sua res produxerunt, eodem jure gavisi fuissent. Solum per separationem bonorum, qua laboriosus de fructibus suæ industriæ percipiendis securus redditur, cultura rerum obtineri potuit. Ergo a communione bonorum primæva hominibus multiplicatis recedere, & per expressum, vel tacitum divisionis pactum dominium rerum introducere erat necessarium, vi cujus a) aliquas res effective diviserunt, b) respectu reliquarum acquirendarum jus occupandi salvum reliquerunt. c) ex alieno dominio sibi jus innoxii usus, & d) in extrema necessitate jus necessitatis reservarunt. Tali ratione primam difficultatem per pactum, alteram per ejusdem modificationes evanescere, concludunt. Interim nos huic theoriæ non accedimus ex sequentibus rationibus: 1-o. Quid super causa introducti dominii dicitur, est totum probabile suppositum, ut naturaliter declarari possit, quare prudentiæ conforme fuerit, communionem bonorum relinquere, at tale quid in doctrina juris, in qua ex principiis rationis conclusiones formandæ sunt, nihil decidit. 2-o. Pactum divisionis cum suis modificationibus est figmentum, ad summum præsumtio. Verum pactum supponit verum consensum omnium cointeressatorum, qui, si eidem contradicatur, probari debet, quod

ab iis scriptoribus non est factum, neque fieri poterat, præsumtus autem consensus est insufficiens ad pactum concludendum (§. 100.). At 3-o. neque est necessarium tale pactum divisionis ad introductionem dominii justificandam, quia illud suppositum, unde difficultates allatæ derivantur, est falsum. Falsum quippe est, juxta legem rationis externas res originaliter in tali communione exstitisse, vi cujus non fuisset licitum partem inæqualem propria auctoritate ad suos privatos fines applicare. Hoc tantum in communione *positiva*, jus dominii jam supponente, e. g. in terreno, a pluribus simul occupato, vel hæreditate acquisito locum habet, non item in communione rerum primæva, *negativa*, in qua omnia erant nullius, solum commune erat omnibus jus connatum, quamlibet rem, nullius exclusivo juri subjectam, ad privatos arbitrarios fines applicandi, & ad hoc efficiendum necessarias actiones suscipiendi; ad quid autem mihi jus competit, ad id effectuandum aliorum consensu non indigeo, neque super effectu exercitii juris connati alicui responsionis oneri obnoxius dici possum. Originaliter communionem rerum possitivam non fuisse patet, quia si omnes ad quælibet singularia objecta jus habuissent, injustum fuisset uti aliqua re sine consensu omnium hominum, quod tamen nec Puffendorfio, nec Grotio incidit; si vero jus rebus utendi, & eas consumendi conceditur, quare foret injustum easdem conservandi cum exclusione aliorum, unde iterum ad alios redire possunt, cum nisus hominis semper ad futuros fines tendat? Certum igitur est, utramque difficultatem in confusione communionis negativæ (juris indeterminati res acquirendi) cum positiva (jure deter-

minato, in certo objecto fundato) consistere, & in nexu §phi 77. suapte cessare.

§. 82.

Illis, qui titulum originariæ acquisitionis in ethico sui conservationis, & perfectionis officio, aut utilitate, ex introducto dominio promanante, reponunt, respondemus primo, jura hominum nullatenus ab officiis ethicis derivanda esse (§. 46.). Imo ipsum jus conservandi non est adæquata ratio originariæ acquisitionis, secus enim dominium non posset necessitatem nostram superare, & opulentus deberet omne, ad conservationem sibi non necessarium, indigenti cedere; cum rationatum ultra rationem extendi nequeat. Dein libera externa activitas, qua libertas aliorum restringitur, indiget etiam tunc justificante ratione, quando penes illam ad utilitatem generis humani provocatur. Denique utrumque hoc principium est peregrinum; quia commodum generis humani considerare pertinet ad Politicum, determinare vero, quæ sit obligatio dominum acquirendi, quatenus aliorum necessitatibus subvenire obligamur, pertinet ad Moralistam.

§. 83.

Inter scriptores alterius classis adversariorum nostrorum eminent Hobbes, Kant, & Fichte. Hobbes ex jure omnium ad omnia deducit in statu naturæ ob continuam jurium, & virium pugnam jus dominii, dicto juri e diametro oppositum, dari non posse, verum jus dominii pacto primum civili oriri posse asserit, vi cujus Imperans legum auctoritate,

&

& potestatis judiciariæ exercitio cuivis subditorum dominium assignat, assignatumque tuetur. Kant *) in statu naturæ provisorium tantum dominium dari docet, quod in Civitate primum in peremtorium mutatur. Dicit nempe: vi illius juris, quod omnes ad res externas habent, non possum solum voluntate mea, & propria auctoritate acquirere, & hac acquisitione omnibus reliquis obligationem imponere; ut illud tamquam meum agnoscant; ideo debeo, ut aliquid meum proprium efficiam, juxta communem voluntatem acquirere, ergo vel juxta legem, in quam omnes effective consenserunt, quod fit in Civitate, cum omnium voluntas in voluntate imperantis, per leges declarata, uniatur, vel saltem juxta legem rationis, quod fit in statu naturali, debeo acquirere. *Illud acquisitum* est peremtorium, *hoc* provisorium, seu aliquo tempore durans, in quo me jure adversus alios defendere possum, si paratus sim aliorum dominium agnoscere, & propter hunc finem civilem unionem inire. Dicit porro: in Civitate per communem, & potestatem habentem voluntatem securi reddimur super inviolabilitate nostri dominii; at in statu naturali, etsi contentus meo alterius suum externum æstimare velim, tamen non habeo securitatem, quomodo igitur mihi fidant alii, me illorum suum æstimaturum? Fichte **) eandem sententiam amplectitur, qui constantius dominium non dari putat, quam quod a genere humano, in Civitatibus vivente, agnoscitur.

*) Metaphysischen Anfangs Gründen der Rechtslehre. Seite 55.

**) Fichte Grundlehre des Naturr. I. Th. Seite 148. u. f. II. Th. §. 48.

§. 84.

Scriptores hi a nobis re minus, quam verbis recedunt. Quod inde factum est, cum hæc quæstio: *an jus dominii in statu naturæ detur?* triplicem sensum admittat, & a singulis eadem non semper eodem sensu sumatur. Primo sumi potest: *an jus dominii sola ratione abstrahendo a positiva legislatione agnosci possit?* Hoc sensu neque ab adversariis, si eorum doctrina accuratius examinetur, negatur. Non ab *Hobbes*, quia statuit officium imperantis esse, dominium subditis juxta leges rationis determinare, & illud dijudicare, per id vero aperte supponit, dominium esse sola ratione agnoscibile. Non a Kant, qui ipse fatetur per Civitatem suum hominis (dominium) non determinari, supponit itaque prius fuisse determinabile, consequenter sola ratione agnoscibile. Non a *Fichte*; quia admittit legi naturæ convenire, ut dominium generatim inter homines impossibile non reddatur, & ad pactum dominii, inque eo fundatam occupationem talia requirit, quæ saltem in parte juxta leges rationis abstrahendo a civili nexu pro validis agnoscuntur, sic ad dominium acquirendi voluntatis sufficientem declarationem esse necessariam, & jus dominii ultra declarationem non extendi affirmat, ergo non negat, jus dominii sola ratione agnosci posse. *Secundo* significare potest: *an in statu naturali jus dominii effective agnosceretur?* Hobbes, Kant, & Fichte negant, sed ut facile conjici potest non tam ideo, quia deest Civitas, suprema potestas, quam quia homines in statu naturali indiscriminatim sibi summe malos repræsentant, quod est unilaterale, & arbitrarium suppositum. Nos homines in statu naturali nec

summe feros, nec summe cultos cogitamus, cum natura eorumdem (sensualitas, & rationalitas) sive ad unum, sive ad alterum supponendum nobis sufficientem rationem non præbeat, & affirmamus, jus dominii ab aliquibus in statu naturali non æstimandum, ab aliquibus iterum ex variis motivis, in hominem etiam extra Civitatem agere queuntibus, (sympathia, prudentia, metu majoris vis) æstimandum. Denique *tertio* sumi potest: *an jus dominii sine Civitate satis securum foret?* Respondemus plene convicti cum adversariis nostris, tantum in Civitate verum, securumque dominium dari posse, quamvis etiam in Civitatibus omnimoda securitas haberi non possit; cum per imprudentiam judicum, studium partium, dolum & vim concivium possit etiam in Civitate dominium violari.

CAPUT VI.

De effectibus dominii.

§. 85.

Per effectus dominii intelliguntur jura, quæ in dominio continentur, his juribus correlatæ obligationes, ac harum transgressiones, seu læsiones. Jus dominii est complexus innumerorum jurium. Quia est jus de rei substantia, & consectariis pro arbitrio, & exclusive disponendi, proinde omnes possibiles actus in, & cum re sua suscipiendi. Interim hæc jura innumera possunt ad tria fundamentalia revocari: nempe ad jus *possidendi*, *emolumentum percipiendi*, & *disponendi*. Juri dominii correlata est obligatio universalis, vi cujus nemo dominum in exclusiva, & arbi-

traria dispositione rei suæ turbare potest. Ideo etiam jus dominii cum suis subordinatis juribus pertinet ad classem jurium *realium*, seu talium, quæ domino rei adversus quemlibet sine discrimine competunt.

§ 86.

Primum jus fundamentale dominii est *jus possidendi*, h. e. jus rem habendi, & in tali relatione cum re existendi, ut nobis physice sit possibile de eadem pro arbitrio, & exclusive disponere. Hoc jus continetur in jure dominii, quia est medium necessarium ad perfectum usum dominii habendum. Est etiam *fundamentale*, quia ex eo jus quoscunque alios a re sua excludendi, usu ejus interdicendi, eam asservandi, custodiendi, tuendi, ammissamque ab omni detentore repetendi, & probato dominio *vindicandi* consequitur.

§. 87.

Alterum jus fundamentale est *jus emolumentum percipiendi*. Ut hoc, & tertium jus fundamentale intelligi possit, *substantia* rei, seu complexus essentialium, a *consectariis*, seu complexu non essentialium notarum rei debet distingvi. Sub jure emolumentum percipiendi intelligitur jus de consectariis rei arbitrarie, & exclusive disponendi. Sine hoc exercitium juris dominii esset inefficax; ideo in jure dominii continetur. Est etiam *fundamentale*: quia ex eodem derivatur: 1-o jus re sua *utendi*, h. e. jus exclusivæ, & arbitrariæ dispositionis super consectariis rei suæ sine extensione sui externi, 2-o jus re sua *fruendi*, seu disponendi de consectariis cum exten-

sione sui externi, 3-o jus usum ex re sua alteri denegandi, 4-o jus totum usumfructum, vel partem, sine, vel cum conditione, gratis, vel erga præstationem in alium transferendi. Justus vero ususfructus rei est, etiamsi cum diminutione aliorum fiat, dummodo neque mediate, neque immediate in connatum, vel acquisitum suum alterius involetur: sic possum domum meam elevare, etsi vicinus prospectum amittat.

Solet hoc loco quæri: licet ne domino rem suam deteriorem reddere, destruere, eaque abuti? In foro externo, i. e. secundum juris principia id licere, nulli subjacet dubio. Nam dominus, rebus suis abutens, neminem lædit, nihil enim quod alterius est, sibi arrogat, neminem in jurium suorum exercitio impedit, sed intra juris sui sphæram operatur. Sed in foro conscientiæ actio domini, re sua quoquo modo abutentis, probari & licita judicari nequit, officiis enim conscientiæ erga se ipsum, & erga alios æquitatis adversatur; cum res sint media ad nos, & alios conservandos, ac perficiendos.

§. 88.

Tertium *jus fundamentale* dominii est jus *disponendi sensu stricto.* Nam sensu lato jus disponendi generatim dominio, & singulo juri fundamentali convenit. Per hoc jus intelligitur jus de substantia rei exclusive, & arbitrarie disponendi. Etiam hoc jus est necessarium ad plenum usum juris dominii habendum, ergo continetur in jure dominii, & est una fons multorum aliorum jurium, ergo est jus fundamentale. Complectitur in se 1-o jus rem suam *specificandi*, h. e. aliam per forma-

tionem efficiendi, ut dum quis e. g' ex vinea agrum, ex sylva hortum, ex ligno naves facit. 2-o jus re sua *abutendi*. 3-o jus dominio semet *abdicandi*, & quidem vel per derelictionem, vel alienationem. Alienatio fieri potest vel juxta omnia jura fundamentalia, & derivativa, vel non, & hæc iterum vel juxta unum, alterumve jus fundamentale, vel tantum juxta derivativa jura, vel utroque modo. Dein translatio dominii fieri potest vel in unam, vel plures personas divisim, aut indivisim, in perpetuum, vel tantum ad certum tempus. Hinc diversitas dominii: nempe 1-o respectu jurium fundamentalium distingvitur *plenum dominium*, in quo uni personæ seu physicæ, seu morali omnia jura fundamentalia competunt, a *minus pleno dominio*, in quo jura fundamentalia inter plures personas divisa sunt. 2-o respectu jurium derivativorum *dominium illimitatum*, a *limitato*, prout plenum, vel minus plenum dominium habens omnibus gaudet juribus derivativis, vel non. Sic limitatum dominium habet, in cujus rem a) quis *jus pignoris*, seu jus propter certam exactionem rem alienam detinendi, ut exactioni satisfiat. b) *jus servitutis* habet, seu jus, vi cujus dominus aliquid in re sua pati, vel non facere tenetur in utilitatem alterius. Cæterum omnes limitationes dominii cum suis modificationibus, majori ex parte accidentalibus, pertinent partim ad jus publicum naturale (jus sociale civile), partim ad jus privatum positivum. 3-o respectu subjectorum dominium est vel *singulare*, vel *condominium*, prout vel uni personæ seu physicæ, seu morali, vel pluribus jus dominii competit. Si condomini determinatas partes dominii habeant, *divisum*, secus *indivisum* condominium

audit. 4-o respectu durationis dominium est vel *revocabile*, vel *irrevocabile*, prout in perpetuum, vel saltem ad certum tempus competit. Effectus ex hac diversitate dominii promanantes facile erui possunt, si hæ diversæ notiones dominii cum lege fundamentali conferantur: e. g. in condominio jura singulorum per æqualia reliquorum jura limitari.

§. 89.

Juri dominii correlata est obligatio universalis dominum nulla ratione in dispositione de re sua restringendi. Quia hæc restrictio est necessaria, ut jus dominii sit veri nominis jus. At, si quæratur, ad quid possessor rei alienæ sit obligatus? Respondemus, videndum est, an sciat rem, quam possidet, esse alienam, vel non. Qui juste ignorat alterius jus in re a se possessa, & rationibus probabilibus ductus, rem suam esse putat, *bonæ fidei possessor;* qui vero rem, qua non secus, ac sua utitur, alterius domini esse novit, *malæ fidei possessor* vocatur. *Malæ fidei possessor pro omni damno præstatione tenetur, quod vero domino per suum factum, vel non factum procuravit.* Quia omnis rei alienæ, cujus dominus non ignoratur, detentio juris dominii violatio est, proinde malæ fidei possessor lædens est, qui ad reparationem læsionis, seu damni obligatur (§§. 50. 51.). Habet itaque 1-o non tantum obligationem rem ipsam extradandi, sed etiam restituendi. 2. pretium vel in toto, vel in parte præstandi, si res sive culpa malæ fidei possessoris, sive casu, quem dominus aversurus fuisset, penitus destructa, vel deterior reddita fuerit. 3-o omnia emolumenta, omnes fructus ex eadem re præstandi, sive præsto sint in natura, sive in

æquivalenti, sive penitus sint consumti; imo etiam non perceptos, quos dominus in regula ex re sua habuisset, fructus, consequenter *percipiendos* obligatur præstare. Neque obstat, quod fructibus percipiendis, sed non perceptis malæ fidei possessor non sit factus locupletior, quos si præstiterit, quod cum ejus damno lucrum sit habiturus verus dominus, aut simplicitatis pœnas sit daturus. Quia esto non sit locupletatus malæ fidei possessor, læsit tamen dominum, qui non majus habebit lucrum eos recipiendo, quam erat habiturus, si rem suam possedisset, neque hoc damnum dici potest intuitu malæ fidei possessoris, oritur quippe ex usu juris sui, & non simplicitas, sed mala fides luit pœnam. *Bonæ fidei possessor non potest pro causa damni, quod verus dominus ex absentia rei suæ sentit, haberi, proinde neque ad præstationem obligatur.* Quia bonæ fidei possessor non est lædens, cum jus domini ignoraverit, & ad rei alienæ possessionem ex inanimadvertentia domini, vel casu, aut culpa tertii devenerit. Hinc obligatur quidem, si rem dominus repetat, & jus dominii probet, rem ipsam, & emolumenta in natura, aut æquivalenti exstantia, licet jam percepta, extradare; attamen de eo respondere non tenetur, quod durante sua possessione cum re ipsa, aut cum emolumentis ejusdem in detrimentum veri domini suscepit, vel omisit, eominus autem, si causa quædam a bonæ fidei possessore distincta nocivum quid circa rem alienam procuravit, aut utile quid impedivit. *)

---

*) Bonæ fidei possessor vocatur etiam *putativus* dominus, res, quam possidet, *putativum* dominium, & modus acquisitionis *putativus*.

§. 90.

Si possessor rei alienæ circa rem *sumtus* habeat, qui, si propter conservandam rem, *necessarii*, si propter augenda emolumenta, *utiles*, si propter voluptatem ex re obtinendam, *voluptarii*, si denique propter duos, vel tres dictos fines simul consequendos fiant, *mixti* vocantur, regula hæc: *nemini licet cum damno alterius locupletari*, locum obtinet. Ideo necessarii, vel utiles sumtus, quos seu bonæ, seu malæ fidei possessor ad rem conservandam, vel ad commodum, quod ex usu ejus derivatur, augendum, facere debuit, domino rem suam recuperante, refundendi sunt. Quod vero possessor in ornandam rem impendit, illud potest absque tamen damnificatione alieni dominii recipi, sed ut dominus hanc voluptatem contra suam voluntatem emat, ad id stringi non potest.

§. 91.

Incrementa, quæ capiunt res, in alicujus dominio existentes, *accessionis* nomine veniunt. Respectu causæ accessio distingvitur in *naturalem*, si incrementa a sola natura, *industrialem* (artificialem), si a sola industria, vel arte; & *mixtam*, si a natura simul, & industria proveniant. Res incrementum capiens, principalis, vel in genere *principale*, incrementum vero ipsum, res accessoria, vel *accessorium* audit.

Species accessionis naturalis sunt: nempe alia est *productiva*, seu incrementum per vim internam, ut naturales fructus inanimatarum, & fœtus animatarum rerum: alia *accidentalis*, seu incrementum per vim externam pro-

veniens, ut a) *alluvio*, qua sensim & successive fluminis beneficio particulæ terræ agro adjiciuntur. b) *vis fluminis*, seu impetus aquæ, qua major terræ portio alicui fundo advolvitur. c) *insula*, seu terra, repente in fluvio enata. d) *alvei mutatio*, h. e. terræ portio, quam fluvius, alio divertens, siccam reliquit.

Industrialis accessio vel est *materialis*, si materia cum materia, vel *formalis*, si forma cum materia, vel *utraque simul*, si materia & forma cum alia materia connectatur.

Accessionis industrialis *materialis* species sunt: adjunctio, quæ fit inclusione gemmæ, intextura purpuræ, inædificatione, adferruminatione, adplumbatura, confusione rerum liquidarum, & commixtione rerum aridarum. *Formalis accessio* consistit in specificatione, quæ fit pictura, scriptura, & sculptura. Et erit *utraque simul*, (materialis, & formalis) si specificans alienam materiam connectat cum forma e. g. ex marmore alieno sculpat statuam.

Mixtæ accessionis species sunt: *satio*, & *implantatio*. Decisio super accessione ex his regulis generalibus: a) *dominus habet jus de re sua h.. e. de substantia & consectariis pro arbitrio disponendi*, b) *domino non licet rem alienam sibi arrogare*, facienda est.

§. 92.

Ut juxta præmissas regulas generales decisio super accessione recte fieri possit, advertendum est, an accessio actu alicujus juri subjecta sit, vel non. *In primo casu*, vel ex suo domini rerum, quæ accreverunt, vel ex suo alterius provenit. Si *illud*, vel est ordinarius fructus, vel proprio sensu accessio.

Si *hoc* vel est possibilis separatio rei connexæ, vel non. *In altero casu*, accessio est res nullius, & continetur vel intra, vel extra illam rem, quæ accrevit. Præmissis his distinctionibus habito respectu ad priores regulas generales statuimus: 1-o sensu proprio accessio, quæ ex meo dominio provenit, est mea, quia jam prius erat mea: e. g. a fluvio inundata pars mei terreni post recessum aquæ est mea 2-o ordinarii fructus rei meæ sunt ab ipsorum existentia, & quidem seu fuerint naturales, seu industriales, mei. Quia habeo jus dominii in illam rem, ergo & jus fundamentale emolumentum percipiendi: sic industriales fructus mearum arborum, fœtus animalium, seu demum vis fructificans fuerit mea, seu alterius, aut nullius, sunt mei, non secus ex meis materialibus in meo fundo ædificata domus, vel ex meo semine orta messis est mea. 3-o sensu proprio accessio intra meum dominium, quæ in ortu fuit res nullius, primum per occupationem debet acquiri, sed ego habeo jus exclusivum occupandi; *occupari debet*, quia est res nullius, & non plus acquiritur, quam quantum apprehendere, & signare valemus; mihi vero competere jus exclusivum occupandi patet ex jure exclusive possidendi dominium: e. g. animalia nullius, & res inanimatæ, quæ ad meum terrenum, aut aquam veniunt, insulæ, quæ in mea aqua ex incertæ originis partibus oriuntur, sunt pro me acquiribiles, & habeo jus exclusivum eas occupandi. 4. Accessio rei nullius extra meum dominium, neque dominium, neque jus exclusivum occupandi tribuit, sed erit primi occupantis: sic plaga terræ, quæ meo agro per alluvionem, vel per vim fluminis, aut alvei mutationem accessit, & prius res nullius

fuit, evadit primi occupantis. Ideo naves, merces, ex naufragio, vel inundatione ad fundum nostrum deportatæ, non sunt nostræ jure accessionis, cum non sint res nullius, Nullum igitur *jus littoris* (Strandrecht) datur. Cur enim dominus citra factum, aut culpam suam rei suæ dominio excidat, vel ob calamitatem aliquam eo privetur? Ab hoc jure distingvendum est jus colligendi naufragium. (§. 168.)

Materialis, formalis, vel utraque simul, aut generatim mixta accessio ex suo alterius non fundat acquisitionem. Quia nemini licet suum alterius sine ejus voluntate sibi arrogare. Hinc sequitur: 1-o quod, si illud accessorium separari possit, quilibet suum in natura possit exigere: e. g. in casibus conjunctionis per inclusionem, intexturam, adferruminationem, commixtionem monetæ, frumenti, pecorum, possessor suo adversario in natura ejus dominium extradare, vel restituere debet, secus vero 2-o evadat res *pro rata communis*, h. e. tantum jus quilibet habet in re, quantum ejus res, vel industria valet, proin oritur *condominium*: ut in casibus confusionis, specificationis, sationis, & implantationis, in quibus separatio est impossibilis. 3-o quod lædens pars alteri ad præstationem damni obligetur, si separatio, vel condominium perfectam præstationem non tribuat.

Aliqui accessionem vocant modum acquisitionis *secundum quid originarium*, quatenus nempe per eam res aliquo tantum sensu nullius, ut in alluvione incrementum incertæ originis, vel condominium, quod antea non exstitit, ut in casibus confusionis, acquiritur. Interim ibi fit acquisitio per occupationem, hic vero nulla fit vera juris acquisitio.

Si igitur accessio pro modo acquisitionis sumatur, ratio ejus quærenda est in jure positivo, quod principale ab accessorio distingvit, & hanc regulam statuit: *Accessorium sequitur suum principale*, h. e. dominus rei principalis acquirit per accessionem dominium accessorii.

§. 93.

Jus dominii læditur a) *furto*, quod est fraudulenta rei alienæ ablatio invito domino animo sibi habendi, b) *rapina*, quæ est furtum violentum, c) *invasione*, quæ est factum, quo quis possessione rei suæ immobilis dejicitur, omni denique d) *defraudatione* & damno, dolo, vel culpa illato. Damnum illatum resarciendum esse, idque vel rei ablatæ restitutione, vel, si hoc fieri nequeat, satisfactione faciendum, ex iis patet, quæ §. 50. dicta sunt.

§. 94.

Nonnulli juris naturæ doctores tres dari casus contendunt, in quibus etiam invito domino re ejus uti concessum est. Affirmant nempe a) *jus innoxii rerum usus*, b) *extremæ necessitatis*, c) *jus præscriptionis*.

Jus innoxii rerum usus est jus rem alienam sine aliqua diminutione, vel deterioratione ejusdem ad nostros fines applicandi, e. g. ex rivo alterius aquam hauriendi. Hoc jus dicunt inniti 1-o pacto divisionis, quo dominium originaliter introductum, & jus innoxii usus rerum reservatum est. 2-o hac lege: *Neminem læde*, vi cujus nobis jus competere debet etiam usum innoxium ex re aliena habendi. Quibus nos respondemus: pactum

divisionis cum suis modificationibus, ut supra ostendimus, est figmentum, & allata formula in suo literali sensu non exprimit perfecte legem fundamentalem juris (§. 14.).

Directæ rationes adversus hoc jus sunt sequentes: a) dominus habet jus res suas exclusis omnibus aliis possidendi, adeoque earum usu omnes prohibendi (§. 48.); sequitur itaque ipso invito nemini jus competere re ejus utendi, b) fautores hujus juris docent, ad evitandos, qui locum habere possunt, errores ex domino sciscitandum; an innoxium esse usum agnoscat? per hoc vero jus esse desinit, nam jus habens independenter a consensu obligati agit, c) nemo habet jus cogendi dominum, ut sensa sua de re quapiam aperiat, vel ut rerum suarum administrationis rationem reddat, adjunctaque, in quibus dominus versatur, non raro prohibent, quominus causam tergiversationis aperire possit: ergo sub illa conditione, a qua jus innoxii rerum usus dependere dicunt, est inefficax, proinde nullum. Id unum admittendum videtur, subinde aperte innoxium rei alienæ usum concedi, dum consensus domini obtineri quidem nequit, sed prudenter supponitur, neque in hoc casu propria auctoritate uti re aliena, læsionem ex proposito committere, significat.

§. 95.

Jus extremæ necessitatis est jus de suo alterius disponendi ad præsens vitæ periculum antevertendum. Defensores hujus juris restringunt idem ad conditionem, si periculum vitæ sit certum, si, cui res eripitur, in idem periculum non conjiciatur, & si, qui ad vi-

tam conservandam hoc medio utitur, paratus sit ad rem alteri surreptam, quamprimum id fieri potest, restituendam, vel, si res periisset, ad satisfactionem præstandam. Argumenta, quibus sententiam suam firmare nituntur, sunt sequentia: 1-o in collisione duorum malorum inæqualium minus majori præponendum esse præceptum est; sed damnum, quod patitur ille, cui ex rebus suis quidquam surripitur, minus sane malum est, quam mors hominis, ergo adest officium alterius vitæ conservationem conservationi rei suæ præferendi. 2-o quilibet præsumitur consentire in exercitium hujus juris vi pacti divisionis, quo rerum dominia sunt introducta. 3-o dominus tali necessitate presso opem & subsidium negare nequit; quin eum in exercendo jure se ipsum conservandi impediat, adeoque lædat.

Respondemus: Concessa etiam prima, & secunda ratione existentia juris extremæ necessitatis non sequitur, quia jura non deducimus ex ethica obligatione, eominus ex præsumtionibus, quibus jure contradici potest, ad summum extrema necessitas a pœna excusare potest, sed jus tribuere nequit. Respectu vero tertiæ rationis advertimus, *primo* extremam illam necessitatem, quam jus in aliena jura involandi concedere docent, admodum raram esse, & prodigorum, ac otiosorum hominum ignaviam, neque unquam certum esse, an dominus rei non sit in æquali necessitate positus, & non obstante alterius extrema necessitate jus dominii salvum manere, prout etiam defensores juris extremæ necessitatis agnoscunt, cum adstruant cum tempore satisfactionem esse præstandam. Atqui vi juris dominii potest do-

minus quemcunque a re sua excludere, & illam tueri adversus quemcunque, ergo etiam adversus cum extrema necessitate colluctantem. Non potest igitur absque manifesta contradictione jus extremæ necessitatis affirmari. *Dein* falsum est a domino rei lædi illum, cui in extrema necessitate posito subsidium denegat; quia denegando medium vitæ ipsius conservationem quidem non promovet, sed ipsum in libertate se conservandi nullatenus impedit, proinde non lædit. *Denique* ex jure conservandi non sequitur jus extremæ necessitatis. Nam jus se conservandi tribuit jus solum ad media licita, seu talia, quibus aliorum jura non violantur; sed jus extremæ necessitatis est medium illicitum, cum per illud jus dominii violetur, ergo affirmato jure extremæ necessitatis, affirmatur jus ad aliorum jura violanda, quod absurdum est, ergo &c. Insuper in tali casu nulla adest obligatio ethica se conservandi; cum sub hoc supposito regula hæc: *Necessitas non habet legem*, vera sit. Ipse *Volf*, qui hoc jus defendendum suscepit, sic loquitur. *Etenim atrocitas famis est malum difficulter superabile, ex eo autem jus nullum nascitur ad actum lege prohibitum, sane si hoc admittere velis, ad evitandum, tormenta quævis illicita patrare liceret.*

Cicero de actione injusta necessitate extorta ita disserit: *Quid*, inquit, *si vita ejus in periculum venit, ut cum aliquando necesse sit, aut occupare, aut mori, quid faciet? Potest hoc evenire, ut naufragio facto inveniat aliquem imbecillum tabulæ inhærentem, aut victo exercitu fugiens reperiat aliquem vulneratum equo insidentem, utrumne, aut illum tabulâ, aut hunc equo deturbabit, ut*

ipse

ipse possit evadere. Si volet justus esse, non faciet, sed idem stultus judicabitur, qui dum alterius vitæ parcit, suam perdit; si faciat, sapiens quidem videbitur, quia sibi consulit, sed idem malus, quia nocebit.

§. 96.

Jus præscriptionis, quæ est amissio juris per longum nonusum ejusdem. Acquisitio vero rei alienæ per longam bonæ fidei possessionem *usucapio* vocatur. Pro validitate præscriptionis adferuntur sequentes rationes: a) longus nonusus haberi potest pro derelictione, vel cessione rei, b) per longum nonusum notæ rei pereunt, quibus probari posset jus dominii in illam, c) sine præscriptione nullum dominium satis securum & stabile esset, semper enim possessores in metu versarentur, ne antiquior possessor se insinuet, adversus quem ex defectu contrariarum probarum se defendere nequirent, d) felicitas generis humani necessariam reddit præscriptionem, quia sine hac rerum dominia continuo litium periculo exposita forent.

His opponuntur: 1-o principalis conditio, sub qua validitas præscriptionis affirmatur, nempe *longus nonusus*, nullo modo sola ratione determinari potest, an nimirum decem, viginti, centum, aut quot demum annis præscriptio impleatur. At 2-o etiamsi posset determinari, quomodo illud, quod initio injustum fuit, per id, quia diutius durat, justum evadat? & quomodo ille longævus usus, qui ut justus sit, jus præsupponit, primo jus fundet? 3-o ex præsumta derelictione præscriptio evinci non potest, præsumtio enim veritati cedat, est necesse, quamprimum domi-

nus dominium suum probat, rem suam a bonæ fidei possessore repetit, declaratque se rem suam derelinquere, jurique dominii in eam renunciare noluisse. Neque ex eo, quod dominus rem suam longioris temporis spatio a bonæ fidei possessore non repetierit, aut eadem usus non sit, tacita derelictio colligi potest, cum hæc non repetitio sæpe ex ignorantia, vel ex metu possessoris, aut multis aliis de causis oriatur, & inter jura dominii etiam jus re sua non utendi referatur. 4-o Si propter longum nonusum notas, ex quibus antiquius dominium eluceret, amisisset, evadet res nullius, & occupatione, non vero præscriptione acquiri poterit, 5-o in statu naturali proba dominii, & antiquioris possessionis non tam facile adduci potest, ergo etiam sine præscriptione verum, securumque dominium subsistet, 6-o felicitas generis humani non est verum principium cognitionis jurium, extra omnem enim positum est controversiam, non omnia, quæ tamquam media felicitatis generis humani agnoscuntur, juris naturalis esse. Plures e. g. virtutes dantur, e quarum exercitio felicitati communi plurimum emolumenti accedit, quin ad eas exercendas homines cogere fas sit. Dein felicitas cujusque exigit, ut suum cuique tribuatur, quod locum habente præscriptione vix, aut ne vix quidem obtineretur. Quod autem præscriptio possessionem magis securam, probam dominii faciliorem reddat, industriam augeat, lites imminuat, proinde in Civitate introduci, & positiva legislatione accuratius determinari possit, tam a jurisperitis, quam politicis pro veritate agnitum est.

§. 97.

Modi, quibus dominium cessat, potissimum tres assignantur: 1-o *Mors domini*, mortui enim nec obligationis, nec juris sunt capaces. 2-o *Alienatio*, i. e. libera domini actio, juri dominii renunciationem manifestans, cujus species sunt: *derelictio*, & *translatio*; per illam dominus objectum ex sphæra sui juris excludit, quin in alterius juris sphæram transeat; per hanc vero dominus ita juri suo renunciat, ut ad alterum transeat. Modi vero translationis ex §pho 87. videri possunt. 3-o *Rei*, quæ objectum juris erat, *interitus*; quia ut jus efficaciam habeat, debet adesse objectum, circa quod versetur.

CAPUT V.

De jure pactitio, seu mediata acquisitione (derivativa) in genere.

§. 98.

Translatio juris ab una persona in aliam est *mediata*, (derivativa) *acquisitio*, respicitque vel rem, vel operam, vel particulam libertatis naturalis. Ut alter nobis ad aliquid dandum, faciendum, vel non faciendum, aut admittendum, h. e. aliquid præstandum obligatus reddatur, per occupationem fieri non potest propter jus independentiæ, omnibus æqualiter competens, sed requiritur illius voluntas, & cum hæc nonnisi per signa externa innotescat, voluntatis declaratio est necessaria: hæc declaratio voluntatis alteri quidpiam præstandi vocatur *promissio*. Promittens iterum non absolute renunciat juri promisso,

sed sub conditione hac, ut in alium transeat, & cum nemini quidquam obtrudi possit, necessaria est etiam hujus declaratio voluntatis, promissum in suum recipiendi, quæ est *acceptatio*. Atque promissio acceptata dicitur *pactum*. Hinc quod per pactum acquiro, est meum. Quia in pacto *titulus* acquisitionis promissioni, qua facta objectum respectu acceptantis evadit nullius, proinde acquiribile; *modus* vero acquisitionis acceptationi inest, qua sufficienter declaratur, quod illud acquiribile effective pro acquisito habere velimus. Unde patet, derivativam acquisitionem cum originaria magna in parte convenire; quia utraque præter titulum etiam modum acquisitionis exigit, disconvenire tamen in eo, quod in originaria acquisitione objectum sit absolute, h. e. respectu omnium nullius; propterea etiam requirat factum omnibus voluntatem manifestans, nempe *apprehensionem*, & *signationem*: in derivativa vero acquisitione objectum tantum relative, h. e. respectu acceptantis, si velit, sit nullius; ideoque factum tantum promittenti intelligibile, nempe *acceptationem* exigat, cum in illud objectum jam promittenti jus exclusivum competierit.

§. 99.

Ut per pactum derivative acquiratur, pactum verum præsto esse debet, h. e. tale, cui essentiale requisitum non deest. *Essentialia* requisita pacti sunt, quæ ex notione pacti fluunt, & ideo absque contradictione abesse nequeunt, suntque vel *absolute*, sine quibus nullum pactum, vel *relative* essentialia, sine quibus certa species pactorum concludi nequit. Illa vero, quæ salva essentia pacto-

rum abesse possunt, vocantur nonessentialia, suntque vel *naturalia*, quæ tamdiu pactis inesse censentur, donec contrarium probatum fuerit, vel *accidentalia*, quæ adesse, vel abesse possunt, prout paciscentes voluerint. Absolute essentialia requisita pactorum duo sunt: verus consensus, & possibilitas præstationis. *Clara & determinata manifestatio pro ipsa voluntate* (consensu) *habenda est, neque prætextui aliter locutum esse, & aliter cogitasse, locus dari potest.* Quia si clara & determinata voluntatis manifestatio non pro ipsa voluntate haberetur, nec apprehensionem & signationem agnoscere deberemus; cum etiam sint modi declarandi voluntatem, taliterque omne jus ex occupatione everteretur.

§. 100.

Voluntatis declaratio vel est *vera*, vel *præsumta*, vel *ficta*, prout objectivis motivis innititur, vel tantum verosimilis est, aut omnibus objectivis motivis destituitur. Vera potest esse a) *seria*, vel *nonseria*, prout super consensu internæ voluntatis cum manifestatione nullum dubium est, vel dissensus in oculos incidit, b) *clara* & *nonclara*, prout super ejusdem sensu fundatum dubium oriri nequit, vel penitus intelligi non potest, aut plures significationes admittit, c) *expressa*, quæ fit medio signorum, arbitrio hominum determinatorum, in se jam significationem habentium, & *tacita*, quæ fit per naturalia, h. e. talia signa, ut in nexu circumstantiarum voluntatem manifestent, denique d) *unilateralis*, ab uno, & *mutua*, ab utroque paciscente facta, & si unum idemque objectum respiciat, est *consentiens*, secus *diversa*. His præmissis, ut voluntatis declaratio voluntatem ipsam (verum

consensum) exprimat, debet esse 1-o *vera*, quia tantum eatenus sunt paciscentes, quatenus se velle declararunt. Hinc præsumta, vel ficta non sufficit, præsertim cum omni liberum sit contra rationem, & insolito modo agere, dummodo aliorum libertatem non restringat; tacita vero declaratio, si pro loquente actione haberi potest, ejusdem est effectus, cujus expressa; quia utraque est vera. Sic si creditor rogatus, ut debitum a me contractum remittat, nihil loquendo syngrapham laceret, nulli subjacet dubio, eum hac actione voluntatem in petitam debiti remissionem consentiendi sufficienter declarare. Ideo regula: *qui tacet consentire videtur*, vera est, si primo actio nullum dubio locum relinquat, futurum fuisse, ut ab ea agens, nisi consentire voluisset, non tantum abstineret, sed contrarium etiam ejus facturus fuisset, dein si actionem in diversas partes interpretari non possimus; proinde rectius exprimeretur sic: *qui tacet verbo & facto, ubi obloqui, vel resistere potest, ac debet, consentire videtur.* 2-o *Seria*, secus enim non patebit, an suum alterius non contra voluntatem ejus ad nostros fines applicemus, & an invito aliquid non obtrudamus? Hinc assertiones jocosæ, & soli, qui subinde pactis præmitti solent, tractatus, aliæque declarationes, ex quibus animus se obligandi colligi nequit, verum consensum non efficiunt. 3-o *Clara*, quia penitus non intelligibiles manifestationes nullum, dubiæ, vel plures significationes admittentes, solum indeterminatum jus fundare possunt. 4-o *Mutua.* (§. 98.). Hinc neque acceptatio, neque promissio sola derivativam acquisitionem fundat, & tam promittens, quam acceptans ante eventum mutuæ declarationis recedere possunt,

eousque vero promissio, & acceptatio suam vim retinet; quia in foro externo cogitationum ratio non habetur, sed tantum declarationum externe factarum. 5-o *Consentiens*, adeoque objectum debet vel in individuo, vel in specie, & quantitate determinari, secus acceptans nesciet quid, & quale jus acquisiverit, & obligatio committetur arbitrio promittentis, proinde neque jus, neque obligatio poterit agnosci, aut in effectum deduci.

§. 101.

Voluntatis declaratio memoratis requisitis instructa in *regula* exprimit verum consensum, exceptio tamen formanda est, si manifestatio unius paciscentis prudenter pro ejus interna voluntate assumi non possit. Quod fit I-o. Si uterque, vel alteruter paciscentium non habeat potentiam consentiendi; quia id, cujus impossibilitas videri potuit, existere non potest. Hæc potentia consistit in *physica*, vel *juridica* facultate consentiendi, quia physice impossibile nullomodo, juridice impossibile jure existentiam consequi non potest. Facultas physica deest illis, qui in mentis perturbatione positi sunt: ut stultis, perfecto usu rationis carentibus: ut pupillis, & voluntatem suam clare, determinateque edere nequeuntibus: ut infantibus, surdo-mutis non instructis. Hi itaque debent per alios suppleri, ut cum illis verum pactum concludi possit. Juridica facultas consentiendi sita est in independentia a voluntate alterius. Hinc subjecta, ab aliena voluntate dependentia, etsi facultatem physicam pactum concludendi habeant, verum pactum concludere non possunt. Quia salvo jure illius, a quo dependent, per consensum

suum alteri se obligatos reddere nequeunt: ut proles sub patria, servi sub herili potestate existentes in præstationes, alteri potestati faciendas, valide consentire nequeunt.

§. 102.

II-o. Si *error*, sub quo etiam ignorantia continetur, aut *dolus* subversetur. *Error* est assensus præstitus rei aliter se habenti, quam videtur. Error potest vel objectum, vel motivum pacti, aut alias extra objectum pacti sitas circumstantias respicere, potest vel culpa propria, vel casu, vel culpa compaciscentis, aut tertii cujusdam evenire. *Dolus* est omnis calliditas, ac machinatio prava, qua alter ab altero ex intentione, ac malitia fallitur. *Error in motivo* (id ipsum intellige de aliis objectum pacti non respicientibus circumstantiis) *vim, ac valorem pacto non adimit.* Quia peculiare motivum ejus, qui se mecum in pactum immittit, non teneor scire, sæpe nec præsagire, eomninus recte de eo judicare possum: ille vero mihi motivum suum verum dicere non obligatur, interdum neque ipse solus ejusdem est clare conscius. Igitur si se decepit, sibi adscribat, vel si alter fuit causa erroris, habebit jus ab illo exigendi damni reparationem. Dein si ad valorem pacti requireretur consensus expressus in omnes objecti qualitates, vix ullum pactum validum foret, cum pauca ineantur pacta, in quæ error alicujus circumstantiæ non irrepat. Denique verum pactum ex mutua, ac libera in idem objectum consensione oritur, quod adest, etiamsi error in circumstantiis subversetur, nisi aliqua circumstantia pro conditione, & per id pro objecto pacti statueretur.

§. 103.

Si error objectum pacti respiciat, videndum: an subversetur error *substantialis*, vel *accidentalis*. Qui substantiam rei in pactum deductæ, aut qualitatem, quæ tamen in ipsam substantiam redundet, & ex qua velut conditione assensus ita suspenditur, ut si hæc aliter se habeat, pacisci nolit, respicit, *substantialis* dicitur, alias *accidentalis*: exemplum *prioris* est, si quis vitrum emat, putans esse gemmam *): *posterioris*, si vinum vetus, ut constitui, mihi mittatur, sed una urna minus. Hinc 1-o: *Ex errore substantiali initum pactum non valet, si hunc errorem altera pars compaciscens penes conclusionem pacti vel ex declaratione voluntatis, vel ex natura rei cognoscere potuit, & cognovit.* Quia sub hoc supposito compaciscens non potuit fundate assumere, errantem illud objectum, quod obtinet, vel obtinuit, præstitit, vel præstare deberet, interne voluisse, potius contrarium patuit, ergo deerat essentiale requisitum pacti, ut pote verus consensus. Idem autem est sive error substantialis propria, sive alterius contrahentis, sive tertii culpa eveniat. Inde seu gemmam adulteratam emas pro sincera, sive sinceram pro adulterina, semper emtio nulla est. 2-o: *Ex errore accidentali conclusum pactum habet suam vim ac valorem.* Quia respectu principalis objecti errantis voluntas interna cum alterius compaciscentis voluntate conjungitur, adest itaque verus consensus, proinde verum pactum. Læsus tamen jus habebit exigendi præstationem damni ab eo, qui causa fuit hujus erroris.

---

*) Huc refertur etiam error in persona, ad quam jus ex pacto restringitur.

§. 104.

Dictæ regulæ de errore etiam ad dolum applicari possunt. Hinc si aliquis diversis persvasionibus, & falsis repræsentationibus alteri motivum suggessit pactum concludendi, quin aliquam proprietatem falsam objecto pacti indidisset; immoraliter quidem egit, attamen, quia finem, & causas, cur se alter ad pactum ineundum immiserit, scire non obligabatur, pactum erit validum, nisi illud motivum expresse, vel tacite pro conditione poneretur. Si e contra tali modo falsa proprietas objecto attribuatur, & substantialem proprietatem objecti respiciat, pactum conclusum est nullum; si autem accidentalem solum proprietatem respiciat, pactum est validum, sed pars delusa habet jus reparationem damni exigendi ab eo, a quo dolus provenit. Generatim doctrina de errore, & dolo ad pauca principia reducitur, quæ tamen in applicatione sæpe valde difficilis redditur; cum non possit satis secure decidi, an aliquid tantum motivum, vel objectum pacti, an proprietas substantialis, vel accidentalis sit, an aliqua circumstantia pro conditione pacti haberi debeat, vel non.

§. 105.

Alterum requisitum essentiale validi pacti est *possibilitas præstationis.* Quia gratis volumus aliquid, si illud evenire non possit. Impossibilitas præstationis potest esse vel *physica*, si viribus humanis, vel *moralis*, si legi morali, & quidem hæc vel *juridica*, si legi juris, vel *ethica*, si legi virtutis repugnet. Item quælibet harum potest esse vel *absoluta*, h. e.

respectu omnium, vel *relativa*, h. e. respectu determinatæ personæ: vel *activa*, nempe ex parte promittentis, vel *passiva*, nempe ex parte acceptantis. Præmissis his statuimus sequentes regulas: I-o *Activa physica impossibilitas præstationis obstat valori pacti sive sit absoluta, sive relativa.* Quia ad physice impossibile nullum jus, tamquam facultas moralis cogendi, proinde nulla obligatio cogitari potest. Dein omne pactum fit de aliquo præstando; nequit vero præstari impossibile. Et si hæc impossibilitas sit absoluta, acceptanti neque jus ad præstationem damni competit. Quia in conclusione pacti acceptanti in oculos cadere debuit, promittentem vel nugari, vel in mentis perturbatione positum esse, proin si quod damnum in ipsum redundavit, sibi adscribat. Si vero hæc impossibilitas tantum relativa fuit, & acceptanti tempore conclusi pacti ignota, acceptanti jus ad præstationem damni vi §phi 50-i competere, neque regulam: *volenti non fit injuria*, obstare, patet. Hinc a) qui nimia in vires suas fiducia fretus plura promittit, quam quæ præstare valet, susceptum opus per alium aptiorem perficiendum curare tenetur, b) qui tempore initi pacti ea, quæ promisit, præstare poterat, postea vero sua culpa eo rem adduxit, ut promissis stare nequeat, e. g. objectum præstationis petulanter destruendo, vel pecuniam mutuo acceptam dilapidando, ad rei promissæ pretium, vel pecunia, vel labore refundendum, jure cogitur, c) qui certo certius promittit a tertio quodam nonnulla præstitum iri, hoc ipso obligationem suscipit damnum ex non impleto promisso reparandi, d) qui denique minus cautos decipit in animis eorum spem, & exspectationem magni lu-

cri, vel alterius commodi excitando, atque ob expensas, in rem speratam factas, in damnum inducit, ad hoc reparandum obligatur, e. g. alchymista. Difficultates etiamsi reipsa majores sint, quam tempore promissionis repræsentabantur, vel repræsentari poterant, juribus acceptantis derogare nequeunt.

§. 106.

II-o *Activa juridica impossibilitas præstationis, seu sit absoluta, seu relativa irritum reddit pactum.* Quia absoluta juridica impossibilitas activa est, si præstatio juri personalitatis promittentis repugnet, cujus inalienabilitas nobis constat (§. 53.). Nec juvat se provocare ad regulam: *volenti non fit injuria.* Quia in tali pacto voluntatis declaratio non est seria, proin requisitis necessariis non est instructa; ita enim sonat: Ego tamquam persona volo me tibi obligatum reddere, ut tibi instar rei serviam, sim itaque persona, & res. Atqui hæc declaratio vel jocum, vel mentis perturbationem denotat, igitur pro seria haberi non potest. Ex defectu itaque veri consensus validum pactum esse nequit. Relativa vero juridica impossibilitas activa est, si promittens præstationem promittat juri tertii repugnantem, e. g. promissio de altero occidendo. Si pactum, in quo talis præstatio objectum pacti est, pro valido declararetur, obligatio ad aliorum jura violanda affirmaretur, quod est absurdum. Hic quæri posset: an pro præstatione actionis juri alterius adversantis, promissa merces dari debeat, cum promittens promissum adimplere non obligetur? Ita: ad impletionem quidem promissæ injustæ actionis promittens cogi non potest, quia objecto

pacti deest justitia, ad solutionem tamen promissæ mercedis jus cogendi competit, hæc promissio enim est justum objectum pacti.

§. 107.

III-o *Activa ethica impossibilitas præstationis absoluta, quæ nimirum perfecto officio morali, h. e. nullam exceptionem admittenti, repugnat, tollit pactum.* Secus enim orirentur obligationes contradictoriæ: negativa ex lege morali, affirmativa ex pacto, quod iterum absurdum est. *). Hinc etiam promissa, quæ sine juris alieni violatione præstari nequeunt, ut dum alter paciscentium alteri rem alienam promittit, aut per pactum tardius initum alterius juri, ex pacto quæsito, præjudicium infert, efficiunt pactum nullum; quia violatio juris alterius est transgressio officii perfecti moralis, quæ objectum pacti esse non potest. *E contra activa ethica impossibilitas præstationis relativa non obest valori pacti.* Quia acceptans potest cogitare præstationem promittenti esse ethice possibilem; agitur enim de tali officio morali promittentis erga se, vel erga alios, quod a circumstantiis dependet, quas acceptans ignorare potest. Respectu promittentis quidem præstatio repugnat officio morali, ideo tamen pactum non debet ruere, secus acquisitio per pacta nunquam secura foret, impossibilis redderetur. At extra dubium est, 1-o promittentem propter immo-

*) Recte advertit Papini: l. 15. D. de condit. instit. Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dicam, contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum.

ralem suam promissionem foro conscientiæ, & Dei obnoxium, ac ideo ad errorem commissum omni possibili ratione emendandum obligatum reddi; propterea tamen impletionem pacti denegare non potest, ne violati officii perfecti moralis reus evadat, 2-o acceptantem, si urgeat promissum, & sciat esse immorale, pro foro interno male agere, consequenter peccare. Interim coram foro externo, de quo unice nobis sermo est, pro justo haberi debet.

§. 108.

Passiva impossibilitas præstationis adest, si promittens ab acceptante ad promittendum coactus sit. Coactio vel est *physica*, seu necessitas ab externa causa proveniens aliquid promittendi, vel *psychologica*, seu comminatio mali gravis, vi cujus alter ad ineundum pactum tamquam minus malum compellitur. Hæc autem potest esse a) *justa*, si jure fiat, secus erit *injusta*, b) *arbitraria*, si ab arbitrio acceptantis, vel tertii cujusdam, vel *casualis*, si ab incerto eventu proveniat, c) *principale* motivum initi pacti, vel tantum *secundarium*. An ex coactione physica factum promissum servari debeat? quæri non potest; cum acceptanti pateat, promittentis manifestationem non fuisse seriam.

§. 109.

De pacto ex psychologica coactione conclusc sequentes regulæ tenendæ sunt: I-o *Psychologica justa coactio etsi arbitraria, & principale motivum conclusi pacti sit, pactum non reddit irritum.* Quia jure cogens

acceptans nec indiget consensu promittentis ad præstationem sibi faciendam, ad quam alioquin promittens obligabatur. Dein ob jus connatum bonæ existimationis præsumendus est promittens interne pronus fuisse, ad jus alteri competens præstandum, cum quilibet præsumatur, paratus esse ad obligationem, sibi incumbentem explendam. II-o *Psychologica injusta coactio, si una principale motivum sit initi pacti, obstat valori pacti.* Quia primo cum sana ratione conciliari non potest, ut injusta actio sit fundamentum juris acquirendi pro lædente adversus læsum. Dein nemini licet injuriam inferre, neque inchoatam continuare, aut terminare, quod tamen admitti deberet, si acceptanti jus concederetur insistendi promisso, psychologica injusta coactione extorto. E contra; si hæc coactio tantum secundarium motivum conclusi pacti fuerit, e. g. si promittens per malum facile evitabile, proinde nullam fundatam rationem metus generans, ad promissum cogatur: aut si psychologica coactio a tertio nullatenus ab acceptante, vel casu, e. g. ex metu exundationis, incendii, proveniat, pactum conclusum erit validum. Quia supra allatæ rationes huc applicari non possunt.

§. 110.

Effectus pacti validi est translatio juris ab uno in alterum; proinde derivativa acquisitio. Quia in pacto, necessariis instructo requisitis, adest & titulus, & modus acquirendi. Hinc regula generalis: *Ex pacto jus oritur illi, cui promissum est, adversus illum, qui promisit, & respicit id, quod promissum est sive expresse, sive tacite.* Jam cum per pa-

ctum vel *res*, (in specie vel in genere, ejus plenum vel minus plenum dominium, aut saltem aliquod jus dominii derivativum) vel *factum*, (positivum vel negativum, præsens vel futurum, unicum vel plura) vel *utrumque simul* promitti possit, & paciscentes personæ vel *singulares*, vel *plures* esse possint, atque considerata hac diversitate de pacto *perfecto* h. e. tali, cui nihil deest, ut tamquam validum existat, vel *consummato*, si quod præstandum erat, præstitum est, quæri possit, sequentes speciales regulæ fluunt: I-o Si objectum pacti actio quædam (factum) in specie est, hac illico secuta de ulteriore jure quæstio esse nequit, quia isthic pactum simul initur, & consummatur. Si vero 2-o futura actio, vel plures successive ponendæ promittuntur, acceptans jus nanciscitur tantum adversus promittentem, præstationem actionis exigendi. Idem valet de facto negativo, seu omissione. 3-o Si promissio rem respiciens impleta est, de ulteriore jure adversus promittentem quæri non potest. In hoc casu ad solutionem promissi requiritur *traditio*, seu actio promittentis, qua acceptans in possessionem rei promissæ collocatur, ut eandem pro suo arbitrio ad suos fines applicare possit. Hæc potest esse a) *vera*, dum res mobilis de manu ad manum datur, & ad immobilem quis inducitur, b) *ficta*, seu brevi manu, dum quis rem meam jam possidet, sed non jure dominii, modo declaro, ut ejusdem sit dominus, c) *longa manu*, si res tradenda a longinquo exhibeatur, d) *symbolica*, si loco rei tradendæ alia illam significans tradatur. 4-o Si quis unam, vel plures in futurum præstandas res in genere, seu non plene determinatas, promisit, acceptans acquirit solum jus ad actio-

nem

nem promittentis, nempe traditionem, promittens enim promissum non plene determinando sibi jus seligendi individuum reservavit, ergo acceptanti oritur tantum jus vel ipsam rei traditionem, vel accuratam speciei definitionem postulandi. Ex hactenus dictis patet, acceptanti ex pacto perfecto, sed necdum consummato unice adversus promittentem jus competere, proinde tantum jus personale præsto esse, de quo nunquam litigatum fuit.

§. 111.

At 5-o) si quis rem singularem (speciem), & omnimode determinatam, se daturum, promittit, disceptatur: an eveniente promissi acceptatione acceptans etiam absque traditione jus non solum adversus promittentem, sed adversus quemlibet efficax, h. e. jus *reale* acquirat? Respondemus affirmative. Quia jus reale præsto est, si mihi ad rem externam jus ita competat, ut idem adversus quemlibet exequi possim; atqui promittens rem plene determinando in mei favorem omne suum jus in me transtulit, & ego vi nostri mutui consensus habeo jus de eadem, & ejus singula parte pro arbitrio disponendi, consequenter omne impedimentum, huic exercitio obstans, a quocunque demum positum, necessariis mediis removendi, ergo meum jus est reale. Neque obstat, quod juxta theoriam originariæ acquisitionis jus reale nonnisi apprehensione, & signatione eveniente oriatur; cum eousque nostrum jus adhuc non sit pro quolibet cognoscibile. Nam inter originariam, & derivativam acquisitionem respectu objecti est magna differentia. Originaria acquisitio objectum

absolute, derivativa vero tantum *relative* nullius supponit: ergo licet ibi apprehensio, & signatio requiratur, tamen eam hic quoque necessariam esse, non sequitur, sed sufficit factum promittenti intelligibile, quod est acceptatio (§. 97.). Et si leges positivæ rei etiam plene determinatæ exigant traditionem, ut ex pacto jus reale oriatur, id fieri propter majorem securitatem jurium, extra dubium est; imò interdum in Civitate quoque jus reale sine traditione acquiritur. Atque ex his videri potest, quo sensu vera sit regula: *dominia rerum non pactionibus, sed traditionibus transferuntur.*

§. 112.

Hinc patet distinctio inter jus *reale*, quod rem, & *personale*, quod personam pro objecto habet. Quia jus reale habens gaudet facultate re utendi, proinde quemlibet cogendi, ne ipsum in exercitio hujus juris impediat; huic itaque juri correlata est obligatio universalis rem illi, qui ad eandem jus habet, permittendi, sed tale jus, quod adversus quemcunque rei detentorem obtinet, juxta communem nominalem definitionem est jus reale, ergo jus reale rem respicit, vocatur etiam *jus in re*, quia nobis immediate in re (objecto, seu bono aliquo externo) competit, & idem ubicunque res sit, persequi licet. E contra, ut alii propter meos fines actiones suscipiant, vel suam libertatem restringant, non est universalis, sed tantum specialis obligatio ejus, qui se mihi facto ad id obligavit, ergo hoc jus est personale, seu restrictum ad personalem præstationem promittentis, hoc jus personam respiciens vocatur etiam *jus ad rem*;

quia nobis solum in certam personam, quæ se quidquam præstituram promisit, competit. In reliquo ex pacto illæ, & tot personæ jus acquirunt, & quidem erga illas, & tot, quot acceptarunt, & promiserunt.

§. 113.

Juri, quod ex pacto oritur, correlata obligatio sita est in pacti expletione, h. e. præstatione promissi. Quia hæc conformatio propter jus acceptantis est necessaria. Violatio juris pactitii vocatur *perfidia sensu lato*, seu conformatio obligationi pactitiæ repugnans, &, si ex proposito fiat, est *perfidia sensu stricto.* Ob perfidiam unius paciscentis alter acquirit jus præstationem damni exigendi, ut nimirum vel impleatur pactum, vel, si id fieri non possit, satisfactio præstetur. Pro reliquis autem omnibus ob jus connatum independentiæ consurgit obligatio sive unam, sive alteram partem contrahentem in executione juris pactitii, vel implenda obligatione pactitia non impediendi.

§. 114.

Obligatio pactitia cum promittentis declaratione pari passu ambulat. Quia declaratio promittentis est ratio possibilitatis omnis juris pactitii, & acceptatio est ratio existentiæ ejusdem, ergo etiam obligationis huic juri correlatæ (§. 97.). Hinc illud: ut *lingva nuncupassit, ita jus esto:* vel: *ex pacto nemo magis obligatur, quam quatenus se obligatum velle declaraverat.* Animadvertendum tamen est, tacitam voluntatis declarationem expressæ æquivalere (§. 100.). Exprimi solet

in pacto imprimis a) objectum pacti, an nempe equus, vel domus sit, b) conditiones, c) tempus præstationis. De objecto pacti in genere nihil dici potest, quin in doctrinam de pactis in specie involatio fiat, potest vero de conditionibus, & tempore præstationis.

§. 115.

Pactum, cui nulla conditio, & tempus, quando promissa præstanda sunt, adjungitur, *purum*, secus *conditionatum* vocatur. Est autem conditio incerta, futuraque circumstantia, a cujus existentia, vel non existentia jura, pacto acquirenda, pendent. Variæ dantur conditionum species, harum præcipuæ sunt: 1-o *expressæ*, seu arbitrariæ, vel *tacitæ*, seu naturales, prout ad cognitionem earumdem expressa declaratio paciscentium est necessaria, vel non, 2-o *affirmativæ*, vel *negativæ*. Illæ aliquid fieri, hæ autem supponunt, aliquid non esse, vel non eventurum, 3-o *possibiles*, & *impossibiles*, prout effectui dari possunt, vel non, & quidem prout juxta legem naturæ, vel libertatis circumstantia, pacto adjecta, evenire potest, vel non, ita est physice, vel moraliter possibilis, aut impossibilis. 4-o *Casuales*, *potestativæ*, & *mixtæ*. Futura circumstantia, a promittentis potestate prorsus independens, *casualis* audit: e. g. promitto, me in commodum alterius quidquam acturum, si post triduum aura faverit; ab arbitrio vero, vel potestate paciscentium pendens, *potestativa* appellatur: ut si uxorem duxeris, quæ mihi debes, tibi remittam. *Mixta* conditio est circumstantia, cujus existentia partim ab arbitrio & potestate paciscentium pendet, partim ab ea independens est: e. g. da-

bo tibi mille florenos, si uxorem duxeris, & proles generaveris. 5-o *Suspensiva*, vel *resolutiva*, prout per adjectam circumstantiam initium juris pactitii, vel finis determinatur: ut dabo tibi mille florenos, si tibi filia nata fuerit, est suspensiva; equum meum tibi tercentis florenis vendam, si, qui plus offerat, non comparuerit, est resolutiva.

§. 116.

De effectu pactorum conditionatorum sequentes regulæ statui possunt: 1-o Pactum sub conditione physice impossibili, affirmative, & suspensive expressa, initum non est validum, seu fuerit illa impossibilitas absoluta, seu relativa, e. g. si tu solus exercitum hostilem deviceris. Quia reipsa promissio sub tali conditione est occulta denegatio præstationis, & acceptans videre potuit, promittentis declarationem vel in mentis perturbatione, vel in essentiali errore circa objectum pacti, vel in joco fundari, ideoque probare non poterit, fuisse seriam. Si vero hæc physice impossibilis, & suspensiva conditio negative exprimatur. e. g. Si tu hanc, quæ modo mortua est, non duxeris, dabo tibi meam filiam pro uxore, pactum est validum. Quia denegatio sub talibus conditionibus est promissio nulli conditioni alligata, neque promittens probare poterit, contra voluntatem suam fieri, si acceptans juxta naturam pacti puri agat; nisi manifestum esset, promittentem vel amentem esse, vel jocum exercere. Id ipsum tenendum est de pacto sub conditione moraliter impossibili concluso. 2-o Pendente conditione suspensiva acceptans id, quod promissum est, exigendi jus non habet, quod existente con-

ditione acquirit ita, ac si nulla unquam conditio pacto adjuncta fuisset, i. e. pactum, sub conditione suspensiva initum, existente conditione fit purum. Promittentem tamen ab omnibus abstinere oportet, quæ impedire possunt, quominus conditio adimpleri queat, & ideo acceptanti in casu periculi jus securitatis, in casu damni jus præstationis damni competit. 3-o Pactum sub conditione resolutiva initum acceptanti jus statim producit; existente vero conditione jus acquisitum illico evanescit ita, ac si nullum pactum locum habuisset. 4-o Ex pacto, casuali conditioni adstricto, acceptanti nullum jus accedit, si ipse conditionem effectui dederit. Jus enim eo solum, quem promittens pacto definivit, modo ad acceptantem transire potest. Sed promittens, casualem conditionem pacto adjungens, declarat, velle se, ut illam casus ferat: ergo acceptans, cujus opera conditio existit, nullum jus ex pacto, casuali conditioni adstricto, consequitur (§. 114.).

§. 117.

Pactis non raro certum tempus adjungi solet, quod duplici modo fieri potest: vel ita, ut dies certa sit terminus faciendæ præstationis, & dicitur pactum *ex die*: vel ita, ut dies certa sit terminus finitæ præstationis, & vocatur pactum *in diem*. In primo casu ante determinatum diem, in altero autem post determinatum diem nulla est obligatio implendi promissum (§. 114.). Si igitur unus, alterve paciscentium ante diem pacto definitam e vivis discesserit, vel nullum jus orietur, vel cum morte ejus exspirabit. Si denique de tempore, pacto adjecto, incertum sit, an aliquando sit

eventurum, tunc est conditio, quia sive dicatur, si duxeris, sive tempore nuptiarum præstabo, idem est. Et de tali pacto id ipsum censendum est, quod de pacto sub conditione inito.

§. 118.

Ad jura, & obligationes pactitias plene determinandas non sufficit sola sicca verba, quibus pactum concipitur, spectare; cum sint sæpe æquivoca, neque fixam significationem habentia, & loquentes vel ob studium brevitatis, vel ob defectum sufficientis cognitionis lingvæ nonnunquam non satis mentem suam exprimant, sed necessarium est omnia reliqua signa, quæ voluntatem paciscentium manifestare possunt, in considerationem sumere. Quia principium juris, & obligationis pactitiæ est consentiens voluntatis declaratio (§. 114. & 98), quæ non solum verbis, sed aliis quoque modis fieri potest. Hinc *interpretatio* pactorum, quæ in determinatione veri sensus pacti sita est, institui debet, ita tamen, ut cum universali personarum libertate conciliari possit. Quare justa interpretatio nonnisi juxta universaliter validas regulas, h. e. tales, sine quibus libertas in commercio sine necessitate restringeretur, fieri potest; complexus harum regularum efficit *artem interpretandi pacta.*

§. 119.

Generatim interpretatio neque ex mente loquentis, neque ex mente audientis tantum fieri potest, ne quemcunque sensum sibi adfingendo vel promittens promissionem eludat,

vel acceptans plus juris prætendat, quam alter transferre voluit. Sed cum quilibet præsumatur verba in sensu famoso & populari accepisse, verba paciscentium juxta communem usum loquendi ejus temporis, quo adhibita sunt, sumi debent. Hinc regula I-a: *Verba & alia signa, quibus manifestatio accidit, in se considerata dubiæ significationis ante omnia juxta communem usum loquendi sumenda sunt.* Quia, cum in pactis externa declaratio pro interna voluntate habeatur, promittens conqueri non potest, si ad id stringatur, quod expressiones ea lingva, quam elegit, eo tempore, quo ipsi loqui placuit, significabant. Ideo a) antiquis legibus, & pactis non ea tribuenda significatio est, quam hodie verba habent, sed quam habebant olim, b) nec quæ recentius prolata sunt, ex primitiva significatione, seu etymologia explicari queunt. Secus voces *tyrannus*, *fur*, *hostis*, *sophista*, regem, servum, peregrinum, sapientem hodie, uti olim designarent, contra mentem loquentis, & communem usum. Ea de causa termini artium technici accipi debent in significatu, apud artis peritos recepto, tunc enim juxta communem usum loquendi sumentur. Si vero ex usu loquendi sensus pacti erui non posset, valet regula II-a: *Considerandus est totus negotii, ut pote objecti pacti, nexus*, h. e. omne id, quod ad initium, in conclusione, & post conclusionem pacti respectu ejus negotii manifestatum est. Quia uno ictu nolumus, & non possumus invicem sufficienter intelligi, sed tantum sensim, sensimque, & in nexu totius, non possumus igitur de injuria conqueri, si nostræ manifestationes in dubiis casibus juxta earum nexum dijudicentur. Injustum etiam esset una aliqua particula pacti

proposita judicare, vel respondere. Hinc in genere est spectanda conjectura personæ loquentis, loci, temporis, modi, causæ, & finis, juxta versiculum: *Quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*; speciatim vero considerari debent: a) *substrata materia*, seu objectum pacti. Ad illud verba sunt attemperanda, quoniam præsumuntur objecto consentanea esse, quæcunque de illo dicuntur; nec de re cogitanti alia succurrisse videntur vocabula, quam quæ rei denotandæ destinata sunt, & quæ cum ea naturalem connexionem habent: b) *conjuncta*. Nam verborum potestatem declarant etiam *conjuncta vel origine & loco*, id est, quæ sunt ab eadem persona de eodem negotio, vel *origine* tantum, sive *loca parallella*. Quum enim nemo censeatur sibimet ipsi repugnare, & tamdiu quisque idem velle præsumendus sit, quamdiu non constat voluntatem immutasse, sequitur, interpretationem ita semper faciendam esse, ut verba obscura per alia clara exponantur, & ut antecedentia, & consequentia inter se cohæreant. Juxta has regulas, h. e. juxta usum loquendi, & nexum negotii instituta interpretatio vocatur *grammatica*, seu *philologica*.

§. 120.

Si grammatica interpretatione sensum pacti non assequimur, procedendum est III-o ad *logicam*, seu *philosophycam* interpretationem, h. e. talem, quæ verum sensum pacti ex fine paciscentium determinat. Finis pacti est id, ob cujus consecutionem voluntas paciscentium unitur, finis itaque pacti exprimit voluntatem paciscentium adeo, ut reliqua signa e. g. verba sint respectu ejusdem tantum media. Si igitur compaciscentem in du-

biis casibus juxta præfixum pacto finem tractavero, de injuria conqueri non poterit. At finis debet esse certus, & non præsumtus, vel plane fictus, secus enim contrarium obtinebit. Certitudo finis ex expressa, vel tacita paciscentium declaratione, quæ per grammaticam interpretationem cognosci potest, eruitur. Jam certo reddito fine pacti non solum penes *declarativam* interpretationem, quæ cum grammatica convenit, est permanendum, sed *extensiva*, vel *restrictiva* interpretatio logica est suscipienda. Quia considerando finem pacti verba pacti ad plures, vel pauciores casus extendi possunt, quam in contextu pacti continentur. Hinc 1-o in dubio non obligamur accedere interpretationi, per quam pacti finis penitus everteretur. 2-o si per pactum ad determinatum finem jus conceditur, etiam ad necessaria media jus concessum esse assumi debet. 3-o non obligamur admittere, ut media, solum ad determinatum finem concessa, ad alios quoque fines applicentur, licet id expresse non prohibuerimus. 4-o nunquam est interpretatio ita instituenda, ut ex pacto temerarium quid, aut absurdum h. e. physice, vel moraliter impossibile sequatur; quia nemini in dubio tribuere licet, quod a ratione alienum est. 5-o interpretatio, qua in dubio præstatio finem pacti excedens exigitur, est injusta, e. g. qui se per pactum ad determinatos labores obligavit, non potest ad omnis generis labores perficiendos cogi. Ita injusta foret interpretatio, si ex pacto promittens ad operas alteri personæ, quam cui se obligatum reddere voluit, præstandas stringeretur. Ideo etiam jura, & obligationes pactitiæ, quæ in personalibus proprietatibus fundatur, sunt *jura personalissima*.

§. 121.

At conditionum, quæ neque ex generali aliqua juris propositione fluunt, neque per grammaticam, aut logicam interpretationem pro pacto adjectis haberi possunt, seu *arbitrariarum*, nullus respectus habendus est; sed hæc IV-a regula est tenenda: *Arbitrariæ conditiones, quæ vel non sunt positæ, vel saltem non acceptatæ, in jure nullum effectum producunt.* Quia omne verum jus, & obligatio pactitia sita est essentialiter in expresse, vel tacite declarata, & consentiente voluntate paciscentium (§. 114.). Acceptans itaque non obligatur promittentis excusationes sequentes pro validis agnoscere: 1-o quod circumstantias pacti tempore conclusionis non tam clare prout modo perspexerit, 2-o quod acceptans eas bene noverit, & sincere non proposuerit, 3-o quod circumstantiæ a tempore conclusi pacti in aggravium promittentis valde mutatæ sint, & ideo 4-o si modo pactum concludendum esset, certo aliter consensus eveniret. Quia his penitus ad arbitrarias, & ut supponitur, tempore conclusi pacti promittenti occultas, fors neque tunc existentes, aut saltem ab acceptante non acceptatas, imo ut ultimo adjicitur, ad accidentales præsumtiones provocatur.

§. 122.

Regula hæc: *summum jus summa injuria vera* est, si id denotet, quod, qui semper severe jus suum persequitur, eique stricte insistit, subinde violati humanitatis, & benevolentiæ officii reus judicetur, quæ violatio injuriæ affinis est. e. g. Creditor summum jus

habet statuto tempore debitum a debitore exigendi, sed debitor gravi morbo decumbens tradito debito rerum inopia periret; hinc Ethica officium imponit, creditum nondum repetendi, nisi officium humanitatis violare, adeoque ex summo jure in actionem injuriæ affinem labi velim: *falsa* vero, si per eandem id intelligatur, quod juri suo severe insistere maxima sit injuria. Quod enim justum est, simul injustum esse nequit. Quia si uni jus competat aliquid ab altero exigendi, & si necesse sit, vi extorquendi, agendi modus huic juri respondens injustus esse nequit, secus enim alteri jus concedendum esset postulata recusandi, vimque vi repellendi, atque eo ipso & coactio, & ejus repulsio justa foret, quod utique implicat.

§. 123.

Ita regula: *Odia esse restringenda*, *favores ampliandos*, interpretationis pactorum esse nequit. Quia nemo hactenus exactam odiosi, & favorabilis dedit definitionem. Dein idem odiosum, & favorabile esse potest sub diverso respectu. Denique sæpe propter circumstantias odia extendere, favores vero restringere oportet.

§. 124.

Pacta solvuntur vel *absolute*, vel *relative*, prout jura, & obligationes pactitiæ sub omni, vel saltem sub certo respectu cessant. Absoluta solutio pactorum fit vel per *implementum* pacti, vel *sine implemento*, quo in casu *abolitio* vocatur, & in *voluntariam*, ac *casualem* abit, prout nempe abolitio pacti voluntate paciscentium, vel casu evenit. Ad modos

solvendi pacta per implementum refertur: 1-o *Solutio*, seu præstatio ejus, quod debetur; solutione facta creditoris jus cessat, ergo etiam obligatio debitoris est exstincta. At solutio non est, nisi *totum*, *loco*, *tempore*, *modoque debito*, præstetur; dari ergo *in solutum*, seu aliud pro alio solvi, non potest creditori invito, nisi præcisa, ac vera solutio sit impossibilis, & tamen obligatio ad tantumdem præstandum subsistit. Hinc si creditor oblatam sibi a debitore solutionem citra justam causam acceptare nolit, hic, si vult, rem ita derelinquere potest, ut eam creditor apprehendere queat. Tali derelictione debitor obligatione, ejusque accessionibus liberatur, & si res casu pereat, damnum sentit creditor (*mora nocet moroso*). 2-o *Compensatio*, quæ est actus, quo inter reciproce erga se invicem obligatos debitum unius per debitum ejusdem generis alterius partis tollitur. Quum aliud pro alio invito solvi nequeat, ea tantum compensari poterunt, quæ sunt omnino æquivalentia, nimirum genus cum genere eodem, tunc enim, qui compensat, *brevi manu solvit*, & ab obligatione liberatur. Contra debitum liquidum, in quo certo constat, *quid*, *quantum*, & *quale* debeatur, cum illiquido, facta cum factis, vel genus unum cum genere diverso, aut cum specie compensare non licebit, nisi & alter consenserit.

§. 125.

Abolitio casualis pacti fieri potest: 1-o *Re in specie debita casu pereunte.* Quia impossibilis est ejus præstatio, ergo etiam obligatio illam præstandi cessat. At si dolo, vel culpa alterius res pacto promissa interiverit, aut si

quis se rei intereuntis loco aliam præstiturum promiserit, eum obligatione sua non liberari patet. 2-o *Morte*. Mortui enim nec obligationis, nec juris sunt capaces. Attamen non indistinctim creditores mortuo debitore jure suo cadunt; si enim jus est hujusmodi, quod in rebus, a defuncto relictis, aeque potest exerceri, tunc obligatio ad earum possessores transmittitur; & ideo emtio venditio, locatio conductio, & quæ ejusdem generis sunt conventiones etiam ad hos pertinent. 3-o *Confusione*, quæ locum habet, dum jus creditoris, & obligatio debitoris in una persona uniuntur: e. g. si creditor hæres debitoris, vel vice versa fiat. Quia secum ipso pacisci, atque adeo ex pacto sibi aliquid debere nemo potest. 4-o *Elapso tempore*, *mutato statu*, *deficiente conditione*, si obligatio pactitia ad hæc restricta fuerit. Quia nemo plus juris in alium transfert, quam se transferre declaravit. Huc refertur *perfidia* compaciscentis, quia contractibus onerosis tacita inest conditio, *præstabo*, *si tu præstiteris*, patet igitur, cur ob alterius perfidiam obligatio partis innocentis rumpatur.

§. 126.

Voluntaria abolitio pactorum fit: 1-o *Remissione in pacto unilaterali*, seu *pacto de non petendo*, id est creditoris declaratione, se nolle, ut alter sibi præstet, ad quod præstandum pacto obligatur. Quia juri suo quilibet renunciare potest. 2-o *Mutuo dissensu* in pacto bilaterali, e. g. emtorem & venditorem pœniteret fecisse emtionem & venditionem, & sibi invicem hoc declararent re adhuc integra, e. g. ante traditionem, emtio ven-

ditio cessabit. Quia sicut mutuo consensu pactum coaluit, ita mutuo dissensu solvitur.

§. 127

Relativa solutio pactorum duplici modo fieri potest: scilicet vel respectu *objecti*, vel respectu *subjecti*, prout sublatæ priori obligationi nova obligatio, vel novum subjectum juris, aut obligationis pactitiæ substituitur. Relativa itaque solutio pactorum est proprie tantum *mutatio* eorumdem, quæ fit: 1-o *Novatione*, seu pacto, quo prior obligatio in aliam transfunditur, manente eodem debitore, & creditore, mutata scilicet debendi causa, vel modo. 2-o *Cessione*, i. e. pacto, quo id, quod quis mihi debet, in alterum transfero; qua in re consensu *cedentis*, cum invitus jure suo privari non possit, & ejus, cui ceditur, seu *cessionarii*, cum invito non detur beneficium, opus est, non vero debitoris, quia cuilibet de jure suo licet disponere etiam inscio altero, atque invito, dummodo nullum inde debitor detrimentum patiatur. 3-o *Assignatione*, seu actu, quo debita soluturus alium substituit, qui vice sua solvat nondum creditore consentiente. Is, qui substituit, *assignans*, qui substituitur, *assignatus* appellatur. 4-o *Delegatione*, seu pacto, quo creditori acceptanti debitor vice sua alium debitorem expromittentem substituit, *expromittere* vero dicitur, qui obligationem alterius principalem in se suscipit; quare tres in delegatione debent consentire, *delegans*, seu debitor primus, cui invito beneficium obtrudi nequit, *delegatus*, seu debitor substitutus, qui invitus ad alterius debita expungenda cogi, & *delegatarius*, seu creditor, qui invitus jure suo adversus debitorem priva-

ri non potest. Ex his haud obscurum est, a) *novatione* quidem obligationem priorem tolli, ejusque accessorias, veluti fidejussionem, & pignora, sed debitorem principalem ex alio debito teneri, b) per *Cessionem* solvi quidem jus prioris creditoris, sed in ejus locum venire cessionarium, & reipsa obligationem debitoris haud cessare, c) *assignatione* debitorem ab obligatione non liberari, cum creditor invitus jure suo adversus debitorem privari non possit. At d) *delegatione* liberari, etiamsi secundus debitor seu delegatus solvendo non sit.

CAPUT VI.

De pactis in specie.

§. 128.

Pacta (contractus) dividuntur: 1-o in *expressa*, & *tacita*, prout expressa, vel tacita voluntatis declaratione concluduntur, 2-o in *pura*, & *conditionata*, prout sine, vel cum conditione fit promissio, & acceptatio, 3-o in *principalia*, & *accessoria*, prout habent objectum per se subsistens, vel non, sed adhibentur solum, ut acceptans de præstando securior reddatur, 4-o in *unilateralia*, (benefica, gratuita) & *bilateralia* (onerosa, permutatoria), prout unus tantum paciscentium obligationem præstandi habet, vel uterque, 5-o *in nominata*, & *innominata*, prout aliqua utpote frequentiora speciali nomine designantur, vel non.

§. 129.

Omnia pacta unilateralia in eo conveniunt, quod aliquam speciem donationis in se

se contineant; *donatio* enim generatim est translatio nostri in accipientem gratuito, & ex liberalitate facta; quod in omni pacto unilaterali evenit. Hinc pacta benefica juxta regulam §. 121. expressam interpretari debemus. Quia hic acceptans adversus promittentem se neque ad hanc præsumtionem provocare potest: quilibet vult suum commodum; sed potius hæc: quilibet vult incommodum evitare, est præ oculis habenda. Ideo hæc specialis regula in interpretandis pactis gratuitis obtinet: *Donatio non præsumitur.* Objectum, quod gratis in alium transferri potest, est vel actio, vel res, hujus vel tantum usus, vel dominium, sine, vel cum reservatione, ut retributio similis rei fiat. Quare nominata pacta benefica quatuor occurrunt: *Depositum*, *Commodatum*, *Donatio sensu stricto*, & *Mutuum*.

§. 130.

Depositum est pactum beneficum, quo res alicui custodienda traditur, ut quandocunque deponens repetierit, eadem in specie restituatur. Qui custodiam rei depositæ promittit, *depositarius* audit. Itaque 1-o incumbit depositario diligens rei custodia tempore convento, abstinentia ab omni rei usu, restitutio depositi etiam ante tempus, pacto definitum, & damni culpa dati resarcitio; 2-o depositarium in conflictu depositum potius vero domino, quam deponenti restituere, ne verum dominum in jure, rem suam vindicandi, impediat, obligari, ac depositum recusari posse domino, si id in suum, vel aliorum manifestum damnum repetat, plerique docent *).

*) Plato L. 1. de Rep. Depositum ei reddi debet, qui deposuerit, nisi furore agatur, quoniam redde-

3-o Quæri hoc loco solet: an depositarius, e. g. incendio exorto, rei, quam custodiendam suscepit, consulturus, suarum rerum quidquam offerre teneatur? Si res propriæ paris sint pretii, nemo postulaverit, eas rebus alterius posthaberi; quodsi depositæ propriis multo pretiosiores sint, præferendæ videntur; quia in conflictu semper majus bonum est præferendum minori, neque propterea depositarius damnum patietur; quia interitus rerum propriarum depositarii sunt sumtus necessarii, & utiles, in custodiam rei depositæ facti, quos deponens refundere obligatur, nisi cum damno depositarii locupletari velit. Ut autem depositarius ad conservandam rem depositam vitam suam periculo exponat, vel res alterius, a quo nulla damni compensatio sperari potest, præ suis servatum eat, jure nemo exigere potest. Si res deposita mero casu pereat, damnum ferat deponens juxta regulam: *casus nocet domino.*

§. 131.

Commodatum est pactum beneficum, quo usus rei non fungibilis, id est, illius, quæ usu non consumitur, alteri ad determinatum tempus conceditur; si vero pro indeterminato tempore usus rei concedatur, vocatur *precarium.* Qui rei usum concedit, *commodans*, cui autem conceditur, *commodatarius* dicitur. Ex natura hujus pacti fluit: 1-o Commodatarium habere jus re sibi concessa definito tempore, & modo utendi. Ideo commodans

---

re non est debitum, si ei, cui redditur malum nascatur. Idem sentit Cicero L. 3. de offic. & Seneca de benef. L. 4. c. 10.

ante usum finitum rem repetere nequit, etiamsi indigeret, quia certus rei usus jam ad commodatarium pertinet, nec amplius ei adimi potest invito. At commodatarius alteri rem, sibi commodatam, concedendi jus non habet, quia ordinarie penes quamlibet gratuitam concessionem personales proprietates, & relationes paciscentium respiciuntur, propterea etiam tantum personale jus tribuitur. 2-o Commodatarius potest re tantum uti, proinde non magis re uti, quam pacto concessum est, secus faceret *furtum usus*, neque re abuti; quia id solum domino rei competit. Dein finito usu tenetur rem in specie, illæsamque, nisi quantum per usum concessum ei decessit, reddere commodanti; hinc cavere omni diligentia, ne res pereat, aut deterior fiat, impensas ad rei usum v. g. ad alendum equum, necessarias ferre, & si sua culpa res destruatur, vel diminuatur, præstare satisfactionem. At si casu periit res commodata, quæ apud dominum non fuisset peritura, commodatarius aliam rem præstare non obligatur; quia naturale est, ut res pereat suo domino.

§. 132.

Donatio sensu stricto est pactum beneficum, quo vel res, vel jus quoddam in alium transfertur. Regulæ donationis sunt: 1-o donans alienat vel rem, vel jus, solus igitur dominus potest donare. Bonæ fidei possessor solum bonæ fidei possessionis jus transfert. Domino igitur rem suam repetente donatarius jus non habet a donante (benefactore) postulandi, ut se rem, dono acceptam, domino restituentem, indemnem servet, 2-o donatio, ut valida sit, acceptatione eget, hac igitur non-

dum secuta promittens promissum revocare potest, secuta vero ex parte donatarii acceptatione huic ex pacto accrescit jus reale, si res donanda omnimode determinata est, secus tantum jus personale promittentem ad præstandum, quod pollicitus est, adigendi. 3-io Uti in pactis, ita in donatione non plus donatarius acquirit, quam donans se donare velle declaravit, igitur addi potest conditio, veluti si donans ante donatarium moriatur, & hæc est *donatio mortis causa;* 4-o pactum donationis reciprocæ tam donantem, quam donatarium obstringit, quare ad pacta benefica non pertinet.

§. 133.

Mutuum est pactum beneficum, quo res fungibilis in alium transfertur ea lege, ut eam statuto tempore elapso in eadem qualitate, & quantitate, id est, in genere restituat. Res *fungibiles* dicuntur, quæ usu consumuntur, quæque numero, pondere, mensura constant, uti sunt: frumentum, vinum, pecunia &c. Ex notione hujus pacti intelligitur: 1-o quod mutuans rem in genere non alienet, quia vult sibi eam in eodem genere restitui, sed ejus usum temporarium concedat, quem ante temporis lapsum repetere non potest, 2-o quod per mutuum in mutuatarium rei creditæ dominium transmittatur, & quidem rei individuæ a tempore pacti initi, rei autem indeterminatæ ab ipso traditionis momento; ideo etiam illius fert periculum. Quia usus rei fungibilis in abusu, vel potius in consumtione ejusdem consistit, proinde mutuatario jus plene disponendi de specie mutuo accepta competere debet, quod est dominium; 3-o quod

mutuatarius obligetur mutuum creditori restituere in eadem quantitate, & qualitate, scilicet, ut non minus recipiat, quam dederat, & solo usu carere videatur. Quæri hoc loco solet, si quis pecuniam mutuam accepit, cujus valor crescat, vel minuatur eo tempore, quod inter mutuum datum, & idem restituendum intercedit, utrum in debito solvendo habenda sit ratio ejus temporis, quo res credita est, an quo debitum solvitur? Distingvendum est, an in pacto expressum sit, ut in eadem specie monetæ restitutio fiat, vel non. Si illud, eandem monetæ speciem, vel valorem ejus restituendum esse, per se patet; si hoc, mutuans restitutionem summæ mutuo datæ in moneta, tempore solutionis usitata, acceptare debet; quia mutuatarius tantum in eodem genere rem mutuatam restituere obligatur, & contra illum est facienda interpretatio, qui poterat clarius loqui, & non est locutus.

§. 134.

In contractibus onerosis nullus paciscentium res, vel operas in alterum gratis conferre vult, sed quilibet id semper intendit, ut ab altero quoque res, vel operas recipiat; ideo etiam hi contractus bene vocantur *permutatorii*, ac in his uterque paciscentium est simul promittens, & acceptans, mutua enim præstatio evenit. Hæc præstatio non solum, in *dare*, & *facere*, sed etiam in *pati* consistit. Quare articuli: *do*, *ut des*, *facio*, *ut facias*, *do*, *ut facias*, *facio*, *ut des*, augeri possunt his: *patior*, *ut patiaris*, *do ut patiaris*; *patior*, *ut des*; *facio*, *ut patiaris*, *patior*, *ut facias*. Atque in his commercium, seu *mutua rerum communicatio*, *quæ per contractus*

explicatur, situm est. Interim omnes hæ formulæ cum hac unica conveniunt: *facio, ut facias:* quia passio, ut negativum, datio, ut positivum factum spectari potest.

§. 135.

Natura contractuum onerosorum est, ut in iisdem omnis donatio exulet; cum uterque illud sibi propositum habeat, ut tantum ab altero recipiat, quantum in ipsum transfert. Quare sint æqualia ratione utilitatis ea, quæ præstantur, est necesse. Hæc æqualitas objectorum, reciproce communicandorum, ex eorumdem comparatione cognoscitur, si nimirum utilitas unius cum utilitate alterius objecti permutandi conferatur, ac ita eorum identitas, & diversitas eruatur. Quantitas utilitatis, quam in re quadam nobis repræsentamus, *valor*, determinatio valoris, *æstimatio*, definitus autem valor rerum, quæ sunt contractus onerosi capaces, *pretium* dicitur. Itaque in valore, & pretio continetur relatio quanti duorum objectorum inter se, seu ratio eorum mathematica; quæ ratio in objectis heterogeneis, contractibus permutatoriis propriis, naturalis, seu physica non est, sed moralis, & hominum arbitrio tributa, arbitraria. Ideo etiam sic definitur pretium: *quantitas moralis rebus, & operis hominum arbitrio tributa, ut earum ad se invicem ratio definiri possit.* At nec sola utilitas sive vera, sive imaginaria, sive communis, sive particularis sine omni raritate, nec sola raritas sine omni utilitate gignit rerum pretia, sed utilitas conjuncta cum raritate rei pretium efficit.

§. 136.

Omnia, quæ in dominio nostro sunt, habent aliquam utilitatem, & raritatem, secus non essent objectum dominii; ideo consequens est, ut singulæ res dominii cum utilitate, & raritate omnium aliarum rerum aliquomodo comparari, pretiumque suum habere possint. Atque hic valor singularum rerum, quatenus hæ per quantitatem cujuslibet alterius objecti reciproce æstimari, & pares fieri possunt, est *vulgare pretium.* Sed cum commercium sæpius fieri nequeat, quia re, vel opera mea alter non eget, cujus ego rem, vel operam requiro: hinc de medio aliquo communi inveniendo agendum erat, cujus pretium cum re permutanda ratione utilitatis, & indigentiæ comparari, & æstimari possit. Ejusmodi pretium, omni rei æquivalens, & vicarium valorem habens est *pecunia;* quæ si in certas partes divisa sit, atque signata, *moneta* nominatur. Pecuniæ eminens pretium tribuitur; quia est æquivalens universale, potest cuilibet pretio vulgari substitui, & tollit omnia incommoda cum vulgari pretio conjuncta. Ex fine autem pecuniæ apparet, cur 1-o materia requiratur, quæ per se utilitatem habeat, & vulgare pretium, 2-o quæ nec nimis copiosa sit, nec rarior, non illud, secus enim pretium ejus minuetur, non hoc, secus enim commune permutationis medium esse non poterit, 3-o quæ sit substantiæ compactæ, ut duret, 4-o quæ dividi etiam in partes minimas, facile custodiri, & transferri possit. Omnes has proprietates in nobilioribus metallis auro, & argento unitas reperimus, quare hæc pro communi mensura pretii omnium rerum electa sunt. In Civitatibus pecuniæ valor a legis-

latore statuitur, qui potestatem habet monetis quemcunque demum valorem tribuendi, quo in negotio vicinarum Civitatum ratio habenda, nisi pecuniæ editæ usum ad suæ solius Civitatis limites imperans restrictum esse velit.

§. 137.

Jus pretium rei determinandi soli domino competit. Quia ille optime scire potest, quid emolumenti, vel voluptatis consideratis suis relationibus hactenus ipsi res permutanda procuraverit, & verosimiliter procuratura esset; proinde etiam haud dubie enunciare potest, quid ipsi, si hac re carere debeat, titulo indemnitatis in aliis rebus, vel pecunia præstandum sit. Et si alter compaciscens pretio, a domino rei statuto, accesserit, de injuria conqueri non poterit, quia volenti non fit injuria. Hinc pretium naturaliter justum est, quod mutuo paciscentium consensu statuitur. Aliter sentiendum est in Civitate, in qua jus pretia rerum statuendi imperanti competit, ne unquam Cives ad labores prompti, atque idonei rebus necessariis destituantur.

§. 138.

Ex generalibus interpretationis regulis, & hactenus evoluta pactorum onerosorum natura sequentes veritates fluunt: 1-o finis permutantium est, ut objecta permutanda sint æqualia (§. 135.), 2-o jure æqualia esse censentur, in quæ paciscentes consenserunt (§. 137.). Unde recte dicitur: *imprudens habetur, qui rem suam adeo magni facit, nullum ut inveniat emtorem, aut qui rem alterius velit compa-*

rare : quemadmodum vicissim a stultitia proxime abest, qui ita inepte rerum est cupidus, ut quod alter vult, exsolvat. Neuter tamen injustus, neuter prodigus, aut durus; quia in conventionibus onerosis humanitas & beneficentia exulant. *). 3-o Violatur hæc æqualitas, si errore, dolo, aut coactione, consensus evenit (§§. 102 — 104. 109.). 4-o Obligatio pactitia unius partis dependet ab adimpletione promissi alterius partis: *præstabo, si tu præstiteris.* Ideo 5-o tantum ille habet jus urgendi promissum, qui ex parte sua pacto jam satisfecit, nisi expresse, vel tacite ex pacto pateret, quis prius obligationi pactitiæ satisfacere debeat.

§. 139.

Pro diversitate præstationum, & retributionum innumera dantur pacta bilateralia, ex quibus solum maxime nota, & usitatissima declarabuntur. Omnium antiquissimum pactum bilaterale est *Permutatio in specie*, seu contractus onerosus, quo pretium vulgare pro vulgari, i. e. res pro re, jus pro jure, opera pro opera præstatur. Quia ante constitutum eminens pretium permutatione solum præstationes mutuæ fieri poterant. Permutatio solo consensu perficitur, h. e. ante traditionem fit quilibet permutantium dominus rei promissæ; quia in hoc contractu res immediate singularis, plene determinata promittitur utrinque, ejusmodi autem rei fimus domini ante traditionem; adeoque etiam damnum, casu in ea ortum, ferendum habemus.

---

*) Gundling J. N. c. 23. §. 24.

§. 140.

Emtio venditio est pactum, quo res unius pro certa pecuniæ summa in alterum transfertur. Hinc 1-o ad substantiam emtionis venditionis requiritur *consensus*, *merx*, & *pretium eminens*. 2-o Emtor obligatur statim pecuniam dare, & venditor mercem, nisi aliud conventum, & unus alterius fidem sequatur. 3-o Re in specie vendita ad emtorem a vendente dominium transit ante traditionem, adeoque si res casu pereat, perit ipsi emtori, quod si eam venditor iterum alienaret, secunda alienatio esset irrita. 4-o Contra pecunia in genere debetur, nec ejus dominus ante fit venditor, quam tradita sit, ei igitur non perit. Aliquando res aliena venditur, quod si fiat, nisi etiam emtor rem alienam esse sciverit, *naturale* est emtioni, ut venditor debeat *Evictionem* præstare, h. e. satisfacere emtori ob rem a domino *evictam*, sive jure vindicatam. Id ipsum censendum esse de permutatione §pho 135. evincitur. Accidentales, seu arbitrariæ determinationes ex expressa paciscentium declaratione explicandæ veniunt, huc refertur pactum *de retrovendendo*, *lex commissaria*; ut si emtor non solvat pretium intra certum tempus, res sit inemta, pactum *addictionis in diem*, ut si quis intra certum diem meliorem conditionem non obtulerit, res sit emta, aut si obtulerit, inemta.

Sæpe tantum spes incerti lucri venditur, & emtor etiamsi lucrum, propter quod pactum celebratum est, non evenerit, conqueri non potest. At inter metum damni, & spem lucri proportio haberi, & a pacto omnis dolus, & fraus abesse debet (§. 138.). Huc referuntur contractus *aleatorii*, seu pacta sub in-

certo eventu, qui nobis lucrum, & damnum adferre potest, conclusa, ut *Emtio spei*, *Loteria*, *Sors*, *Assecuratio* &c.

§. 141.

Fœnus, seu *contractus fœnebris* est pactum, quo pro usu rei fungibilis potissimum pecuniæ quotannis certum pretium, quod *usuram* vocant, solvitur. Usuras, quantæcunque eæ sint, modo promissæ fuerint, legi juris non repugnare patet ex iis, quæ de jure dominii adlata sunt. Vi nimirum juris dominii nemini jus est dominum cogendi, ut usum rei suæ fungibilis alteri concedat. Cum igitur omnis rei propriæ in alterum translatio a solo domini arbitrio pendeat, evidens est, eum, quæ sua sunt, sub quibuscunque demum voluerit conditionibus, adeoque etiam sub hac, ut suo tempore plus credito recipiat, seu ut a debitore certi quidam census (usura) solvantur, concedere posse. Quare *usuras* exigendo debitori injuriam non infert, usuræ enim non petuntur, nec accipiuntur, nisi volente, & libere consentiente debitore, volenti autem non fit injuria. Nisi promittens facultate consentiendi in census destitutus, aut in pactum vel errore, vel dolo, vel coactione inductus fuisset. (§§. 101 — 105 & 109.)

§. 142.

Locatio conductio est pactum, quo certus usus rei non fungibilis, aut opera pro certa pecuniæ quantitate, quam *mercedem* appellant, præstatur. Qui usum rei, vel operam promittit, *locator*, qui pecuniam, seu mercedem, est *conductor*. In specie conductor

agri *colonus*, ædium *inquilinus* nominatur. Ex notione hujus pacti sequentia fluunt: 1-o Locatorem obligatum esse, ut conductori rei usum, operasque tempore, & modo definito præstet, adeoque ut in eam deteriorationem consentiat, sine qua usus obtineri nequit, ut conductorem ante tempus definitum ob propriam indigentiam non expellat. 2-o Conductoris esse haud aliter re uti, quam conventum est, proinde re non abuti, tribuere mercedem non obstante sterilitate, rem non deserere sine justis causis, damnum sua culpa datum resarcire. Ceterum damnum casuale locatori, ut pote domino, unice nocebit. 3-o Conductorem rei usum sibi concessum alii concedendi, i. e. rem tertio, quem *subconductorem* vocant, *sublocandi* jure gaudere, nisi aliter conventum foret. 4-o Si locator rem locatam vendat, non plus juris in emtorem transfert, quam ipse habuit, igitur emtor conductorem non potest ante tempus excludere. 5-o Si finito locationis tempore conductor continuet re uti silente locatore, fit tacita nova locatio, seu *relocatio*. Si deponens pro opera, vel commodatarius pro usu rei pecuniam promittant, tam depositum, quam commodatum in locationem abeunt; aliud foret, si daretur *Honorarium* remunerandi causa, quod antea promissum non est.

§. 143.

Mandatum *) est pactum, quo quis vel certum quoddam ac determinatum negotium,

---

*) Mandatum referimus inter contractus onerosos, cum hodie communiter negotium alterius gerendum erga mercedem suscipiatur.

vel in genere negotia alterius erga mercedem gerenda suscipit; hinc aliud est *speciale*, aliud *generale*. Qui negotium committit *mandans*, qui gerendum suscipit, *mandatarius* vocatur. Ex natura hujus pacti intelligitur: 1-o Mandantem causam moralem esse actionum mandatarii juxta illud: *quod quis per alium facit, per se fecisse videtur*. 2-o Mandantem cum mandatario pro una persona esse habendum, eum enim in demandato sibi negotio repræsentat, & hic situm est discrimen inter locationem conductionem operarum, & mandatum. Hinc quæ a mandatario intra fines mandati acta sunt, spectantur ac si a mandante facta essent; proinde jura, & obligationes mandatarius non sibi, sed mandanti acquirit. 3-o Mandatarium obligari ad negotium sibi commissum omni diligentia peragendum, & damnum sua culpa datum reparandum. Ita 4-o mandantis officium esse, negotium intra fines mandati gestum ratihabere, mandatarium indemnem servare, si quid de suo erogavit in negotio administrando; non vero si casu fortuito aliquam passus sit jacturam. 5-o Non licere mandanti mandatum speciale ante finitum negotium revocare, nec mandatario eidem renunciare. (§§. 110, 113 & 114.)

§. 144.

Negotiorum gestor, *procurator voluntarius* dicitur is, qui negotium sibi non commissum gerendum ultro suscipit. Si dominus rei ex negotio, per procuratorem voluntarium administrato, promanans commodum sibi vindicare velit, debet impensas, in hunc finem factas, ferre; secus enim locupletaretur cum damno alterius. Qui contra voluntatem tertii

in negotium, alteri commissum, se immisceret, læderet utrumque, & oneri responsionis se obnoxium redderet. Hinc *repetitio editionis alienæ* (Büchernachdruck) dijudicari potest. Scriptor exclusive commisit Editori, (Verleger) ut nomine suo per editionem cum publico loquatur. Jam, qui repetit editionem alienam, non requisitus ingerit se in negotium alienum, & impedit legitimum editorem in emolumento percipiendo, quod ex jure, in se per scriptorem translato, habere posset, & vellet. Agit itaque injuste.

§. 145.

Inter pacta accessoria præcipua *cautionis pacta* memoratu digna sunt. *Cautio* generatim est actus, quo quis securus de re redditur. Per pactum de jure pactitio duplici modo securitas nobis præstari potest: nempe traditione alicujus rei, h. e. *oppignoratione*, & promissione præstationis per personam, ab obligata distinctam, h. e. *fidejussione*. Aliqui ad cautiones referunt: 1-o *Arrham*, seu id, quod in signum conclusi pacti prævie præstatur, ut si obligationi pactitiæ satisfactum non fuerit, aliqua indemnitas habeatur. 2-o *Vinculum*, seu mulctam, in pacto adversus ejusdem violatorem constitutam. 3-o *Pœnam conventionalem*, seu omne malum, cui se promittens pacto obnoxium reddit, casu quo promissa præstare neglexerit, ut nimirum vel carcerem personalem subeat, vel acceptantem ob non, vel imperfecte impletum pactum per bona externa indemnem servet. 4-o *Contestationes*, aut *asseverationes*, seu loquendi formulas, quibus nobis fidem conciliare, aliosque de candore & ingenuitate nostra convin-

cere volumus, quæ, si cum provocatione ad Deum, tamquam Ens omniscium, & justissimum fiant, *jusjurandum* audiunt. Interim cum per hæc omnia partim indemnitas aliqua, aut species quædam pignoris intendatur, partim solum pactum conclusum fuisse probetur, consequenter jus babens nullum novum objectum ad suum jus persequendum acquirat, non pertinent ad modos proprios, quibus jus pactitium securum reddatur.

§. 146.

Oppignoratio est pactum, quo creditori jus in re constituitur, ut nisi definito tempore debitum expungatur, ex eadem ipsi satisfiat. Res ita obligata *pignus*, jus vero creditori acquisitum, jus *pignoris* nominatur; pignus, quod traditur creditori, est *pignus in specie*, quod vero manet penes debitorem, est *hypotheca*. Cum jus in re tantummodo constituatur in securitatem debiti; sequitur primo, creditori re oppignorata uti, frui non licere, nisi hoc ipsi per pactum adjectum, quod *Antichreseos* pactum dicitur, concedatur. Dein debitor tenetur intra definitum tempus pignus luere, i. e. debitum solvere, ob quod pignus constitutum est, secus creditor habebit jus efficiendi, ut sibi ex re obligata satisfiat, adeoque eam distrahendi, vel tamquam suam sibi habendi; non tamen rei pretium, quod debitum excedit, seu *Hyperocham*, retinere potest, nisi etiam id per pactum creditori expresse concessum fuisset (§. 114. & 137.). Denique pignore casu pereunte debitor ab obligatione principali non liberatur, sed creditor amittit jus securitatis (§. 125.). Quod vero creditor jus habeat retinendi pignus, in securi-

tatem unius debiti acceptum, propter aliud debitum, in cujus securitatem concessum non est, facile intelligitur ex eo, quod detur pignus quoddam naturale in omnibus bonis debitoris.

§. 147.

Fidejussio est contractus, quo quis promittit se præstiturum, quod alius debet, nisi ipse præstet. Is, de cujus obligatione cavetur, *debitor principalis*, qui cavet, *fidejussor*, & cui cavetur, *creditor* dicitur. Itaque 1-o adsunt tunc duo debitores, principalis, & accessorius, seu fidejussor; 2-o fidejussor tantum sub conditione se obligavit, igitur conveniri nequit, nisi excusso principali, hinc habet ex fidejussionis natura *beneficium ordinis*. Si vero plures sint fidejussores, quisque pro rata tantum tenebitur, nisi quis in solidum se obligarit. 3-o. Si debitum principale sit irritum, irrita est etiam fidejussio, quæ porro statim cessat, quamprimum principalis præstitit, quod debebat, repugnat enim, ut accessorium absque principali existat.

In genere de cautionibus verum est, eas esse quoddam humanæ perfidiæ testimonium, & nullam vim, nullumque effectum habituras, nisi jus, vel pactum, cujus intuitu præstantur, verum, & validum fuerit, ipsumque pactum, quo quis securus redditur, omnia pactorum validorum requisita habuerit.

§. 148.

Ultimo inquiramus in tales modos paciscendi, & unilaterales actiones, (dispositiones mortis causa) de quarum validitate litigatur.

tur. Qui dispositionem mortis causa facit *Testator*, complexus sui externi *Patrimonium* vocatur. Dispositiones mortis causa vel sunt pactitiæ, vel non, prout in forma pacti, vel secus fiunt. Ad illas refertur *pactum hæreditarium*, quod est promissio super jure ad patrimonium post mortem consequendum acceptata, & *donatio mortis causa*, quæ est promissio super jure ad partes singulares patrimonii, vel determinatam summam post mortem consequendam acceptata: ad has *testamentum*, id est unilateralis ultimæ voluntatis declaratio institutionem *hæredis* continens, seu definiens, quis post mortem nostram habeat jus *hæreditarium*, id est, jus patrimonium a defuncto relictum, quod etiam *hæreditas* audit, in suum recipiendi, & *legatum* pertinet, quod est unilateralis voluntatis declaratio definiens, quis certam partem patrimonii, vel determinatam summam post mortem nostram consequi debeat. Acquisitio juris ex dispositione mortis causa, *successio hæreditaria* appellatur, quæ considerata diversitate dispositionum ultimarum triplex cogitari potest, nempe: *pactitia*, *testamentaria*, & *legitima*. Legitima fundatur in præsumta voluntate defuncti: nimirum in dubio, ubi quis voluntatem suam certis signis non expressit, non creditur bona sua occupanti cedere voluisse; sed quisque præsumitur id, quod naturali inclinationi congruit, voluisse; jam vero hæc regulariter eo fertur, ut præ ceteris iis prospectum velimus, qui ex nobis descendunt, & juxta hos aliis sangvine nobis junctis.

§. 149.

Præmissis his, quæstionem, an quælibet successio hæreditaria juris naturalis sit, vel

an jure tantum positivo vim, ac efficaciam suam obtineat? resolvimus statuendo hanc propositionem: *Successio hæreditaria pactitia*, (pactum hæreditarium, & donatio mortis causa) *non item testamentaria*, *& legitima jure naturæ subsistit.* Probatur *primum:* Quia, si pacta generatim jure naturæ subsistant, non adest ratio, cur pactum, quo quis dominium alteri promittit, & hic acceptat sub conditione, ut promittens utile dominium usque dies vitæ habeat, seu pactum mortis causa effectum non producat. Nam pactum mortis causa est pactum ex die, quod subsistit (§. 117.). Vi pacti hæreditarii *) oritur *condominium.* Quia acceptans acceptando promissum jus ad bona acquisivit; (§. 110.) ideo promittens nihil de iisdem pro arbitrio disponere potest e. g. non potest alteri donare. Morte promittentis cessat condominium, oriturque singulare dominium, nisi pactum hæreditarium cum pluribus celebratum fuisset ita, ut condomini maneant tamdiu, donec divisio inter ipsos evenerit.

Alterum: Quia verum est 1-o testatorem, quamdiu inter vivos versatur, jus suum alienare, seu in alios transferre nolle, 2-o testatorem e vivis ereptum nullum jurium suorum alienare, seu transferre posse; (dum potuit, noluit, dum voluit, non potuit) nam cum morte ejus omnia, quæ habebat jura exspirant propterea, quia personalitas ejus omnium jurium ratio & fundamentum cessat. Itaque te-

*) Non recte nominatur *pactum hæreditarium.* Quia si ex duobus condominis unus moriatur, alter proprie hæres dici non potest; hic solum obtinet rem solitarie, quam prius in communione tenebat.

statoris promissio juxta rectam interpretationem pro seria haberi non potest, quæ tamen ad dominium transferendum est necessaria. Dein, ut dominium secundum juris naturæ principia transferatur, & potestas, & voluntas alienantis ipso alienationis tempore necessaria est; sed post mortem testatoris, cum dominium transferendum esset, neutra existit, non hæc, quia alienans esse desiit, non illa, quia dominium bonorum cum morte hominis exspirat. Jus itaque hæredis testamento acquisitum nullum est. Denique ad omnem derivativam acquisitionem requiritur unio voluntatum, quæ in unilaterali ultima dispositione probari non potest; quia donec vivit testator, deest acceptatio hæredis, legatarii præsertim, cum testatoris intentio non sit, ut ante mortem suam acceptatio eveniat, post mortem autem testatoris deest promissio, quæ morte exstingvitur, cum mortuus voluntatem amplius non habeat. Nullum itaque in testamentis tempus est, quo utriusque consensus concurrit. Quare bona a morte testatoris jure naturæ fiunt nullius, ceduntque primo occupanti.

Quodsi testamentariæ successioni hæreditariæ jus naturæ vim, ac efficaciam non tribuit, multo minus eandem legitimæ successioni tribuet, quæ ex præsumta dumtaxat defuncti voluntate repetitur. Ipsum cadaver, quod tamen, donec vixit, essentiale dominium defuncti effecit, evadit res nullius, quanto magis igitur externum, & acquisitum, proinde accidentale dominium defuncti debet evadere res nullius. Possunt quidem agnati, & cognati in regula primi occupantes esse. At domini evadent non titulo successionis hæreditariæ, sed titulo primæ occupationis.

Neque id opponi potest, quod Leibnitius in methodo nova jurisprudentiæ (P. II. §. 20.) asserit: *Testamenta nullius essent momenti, nisi anima esset immortalis, sed quia mortui revera adhuc vivunt, ideo manent domini rerum; quos vero hæredes reliquerunt, concipiendi sunt, ut procuratores in rem suam.* Quia omne jus supponit coëxistentiam sensualitate, & rationalitate præditorum entium, in qua defunctus amplius non est, ergo nec jus dominii non obstante immortalitate animæ habere potest.

Interim utrumque successionis modum necessaria esse media, quibus omnis via jurgiis, ac rixis orituris præcluditur, si defunctorum bona tamquam res nullius considerari, & a quocunque demum occupari possent, quibus efficitur, ut hominum in parandis, & servandis facultatibus industria non frigescat, naturalis æquitas, & prudentia docet; ideo testamentariam, & legitimam successionem hæreditariam a Civitatum rectoribus per leges positivas stabiliendam esse, manifestum est.

PARS II.

Jus Naturæ Extrasociale Familiarum.

CAPUT VII.

De jure familiarum generatim.

§. 150.

Familia, seu *societas domestica* (domus) constat ex conjugibus, parentibus & liberis, heris & servis. Conjuges, ut persona moralis considerati, sunt *Caput* familiæ, & vocantur *Pater- Materfamilias*, liberi vero ac servi communi *domesticorum* nomine veniunt. Finis familiæ non potest alter esse, quam optima administratio omnium negotiorum domesticorum, sine qua salus domestica obtineri nequit. Hinc *familiam formaliter* definimus: esse relationem conjugum, parentum & liberorum, herorum & servorum, vi cujus mutua jura, & obligationes habent ad negotia domestica optime administranda. *Materialiter*: esse complexum harum personarum. At non semper adsunt omnia membra familiæ, possunt liberi, vel servi, imo pater- vel materfamilias deesse. Regimen domus patri- & matrifamilias æqualiter competere, nisi ubi finis familiæ decisionem exigit, & unanimitas votorum obtineri non potest, patrisfamilias vo-

tum esse decisivum, item relationes conjugum, parentum & liberorum, herorum & servorum esse naturales in *Jure Naturæ Sociali Familiari* probabitur.

§ 151.

Omnis familia consideratur, ut una persona moralis in statu naturali vivens. Quia familia est ens libertate præditum, & respectu finis habet unam voluntatem, ac vim, ejusque membra non sunt res, prout personæ physicæ membra, sed sunt personalitate prædita, atque licet domestici quoad actiones suas permissas ab arbitrio capitis familiæ pendere, & eatenus statum adventitium amplecti voluerint; tamen quoad peregrinas personas sive physicas, sive morales, quibuscum nullam iniverunt conjunctionem, antiquum, hoc est, naturalem statum invicem retinuerunt. Quælibet igitur familia est una persona moralis in statu naturali vivens. Inde compertum est: 1-mo naturalia jura, quibus gaudent singulares homines, per familiarum connexionem intuitu extraneorum non fuisse diminuta, non secus 2-o eadem naturalia officia juris, quæ personis physicis, in statu naturali viventibus, incumbebant, familiis incumbere, ac 3-o familias præter jura connata etiam acquisita obtinere posse, & quidem prout homines singulares vel modo originario, (occupatione) vel modo derivativo (pactis). Denique quia natura personæ moralis alia est, quam personæ physicæ, & familiæ talia negotia ob vires sufficientes suscipere possunt, quæ homines singulares nequeunt, patet 4-o suum familiarum a suo singularium hominum differre.

§. 152.

Familiæ in socialitate viventes, nisi in contradictionem incidere velint, debent se invicem pro personis, subjectis jurium, habere, proinde nulla familia in suis actionibus, quæ aliquem influxum in alias familias habent, vel habere possunt, sibi irrestrictam libertatem arrogare potest (§. 3.). Ideo jus naturale familiarum *objective* est libertas unius cujuslibet familiæ restricta in externo usu ita, ut omnes tamquam personæ morales in sociali statu vivere possint: (§. 4.) *subjective* vero facultas moralis sensu lato familiæ competens ad actiones, quæ cum sociali statu familiarum conciliari possunt (§. 5.). Hinc etiam principium cognitionis objectivum juris naturalis familiarum bene exprimitur sic: omnes liberæ externæ actiones, penes quas inter familias socialis status subsistere potest, sunt justæ, contrariæ injustæ (§. 11.). Recte itaque definitur jus naturæ extrasociale familiarum, dum dicitur esse ipsum jus naturæ singularium hominum ad negotia familiarum adplicatum, atque per notionem earumdem magis determinatum.

§. 153.

Jus naturale extrasociale familiarum differt a jure naturali sociali familiari. Quia *hoc* exponit jura, & obligationes membrorum in familia existentium, quæ ipsis erga se invicem competunt, & vocatur *internum*: *illud* jura, & obligationes, quæ familiis competunt respectu personarum peregrinarum sive physicarum, sive moralium, ac vocari solet *externum*. Nam quælibet familia in duplici rela-

tione existit: nempe ad sua membra tamquam subjecta jurium, & ad alias peregrinas personas, quibuscum adminus in socialitate vivit.

§. 154.

Ex analogia, quæ intercedit inter personas physicas, & personas morales, seu familias socialiter viventes (§§. 151, & 152.) manifestum est, jus naturale extrasociale familiarum non alia jura in se continere, quam quæ in jure naturali extrasociali singularium exposuimus: nempe jus personalitatis, independentiæ, conservationis, & perfectionis sui, aliarumque; jus ad res, securitatem, & præstationem damni: jura acquisita suppositis factis acquisitionis, utpote occupatione, & pactis, atque his correlatas obligationes. Ideo per extensum eadem iterum pertractare superfluum esse, sed provocationem ad Caput I-um usque Caput VI-um juris naturalis extrasocialis singularium sufficere, quivis perspicit.

§. 155.

Familiæ jus ad securitatem efficax reddere, & maxime tueri possunt per *pactum securitatis* *), quod est promissio plurium familiarum super præstanda sibi mutua defensione adversus externos hostes acceptata. Vi hujus pacti æquale jus omnibus compaciscentibus competit exigendi auxilia adversus extraneos,

*) Antiqui vocant *Anarchiam*, sed hodie per Anarchiam intelligitur dissolutio nexus civilis. Alii *foedus securitatis*, sed cum solum pacta inter gentes inita nomine fœderum veniant, nos retinemus pacti vocabulum.

& media ad hunc finem determinandi; quia tempore conclusi pacti non statuitur, ut unus ex patribusfamilias habeat jus determinandi media ad læsiones ab extraneis imminentes, vel illatas removendas, aut reparandas, sed solum mutuum auxilium adversus extraneos promissum, & acceptatum fuit. Hoc pactum neque adversus externos hostes sufficienter tuetur familias; quia compaciscentes uniunt quidem voluntatem suam quoad finem, & fors aliqua, quæ initio statim videntur necessaria, sed nullatenus quoad omnia etiam cum tempore determinanda media, ergo hæc, cum omnibus æquale jus competat, per vota unanimia debent determinari. At hæc unanimitas in tanta connexione familiarum ob diversitatem ingenii, indolis, judicii, & experientiæ difficillime, vel plane non potest obtineri, unde fit, ut quod medium ad commune bonum promovendum uni placet, alteri displiceat, & sic erumpunt dissidia, ex his diffidentiæ, & simultates, quæ odiis bellisque intestinis viam parant, ac propterea extraneis ad opprimendas has familias aditum præbent. Quoad internos vero hostes, h. e. si in aliqua familia domestici officiis suis satisfacere nollent, vel suo capiti resisterent, aut si ex compaciscentibus patribusfamilias unus alterum sibi subjugare vellet, hoc pactum plane nullum suppeditat præsidium; cum pro fine non habeat remotionem internarum, sed solum externarum injuriarum.

PARS III.

Jus Naturæ Extrasociale Gentium.

CAPUT VIII.

De Jure Gentium generatim.

§. 156.

G*ens* (natio, populus) sensu *genealogico* multitudinem familiarum, quæ genere, & agnatione sibi junctæ sunt, *geographico* multitudinem hominum, qui eodem patrio solo, & iisdem moribus gaudent, *politico* omnem societatem civilem denotat. Igitur nationes, populi liberi, ac Civitates quacunque demum regiminis forma utantur, communi gentium nomine veniunt, quamdiu alterius imperio non parent, h. e. independentes sunt.

§. 157.

Quælibet gens ut una persona moralis in statu naturali vivens considerari, proin respectu penes se existentium physicarum, aut moralium personarum (familiarum, vel Civitatum) tamquam subjectum jurium agnosci debet, cum jus sit necessarium attributum cujuslibet personæ. Quidquid igitur inter personas physicas, vel familias in statu naturali

existentes juris, & officii est, id quoque inter gentes juris sit, est necesse (§. 151.); ideo etiam gentes, quatenus in reciproco influxu vi communis domicilii, nempe terræ, vivunt, irrestrictam libertatem sibi vindicare non possunt. Hinc 1-o inter gentes datur jus, quod in libertatis mutua restrictione, sine qua plurium gentium coëxistentia cogitari non potest, consistit, porro quælibet gens habet facultatem moralem sensu lato ad actiones, quibus socialitas gentium non turbatur. Ex applicatione hujus juris conceptus ad casus obvenientes orietur summa jurium singularium inter gentes, quorum complexus efficit *Jus gentium objective.* Hæc jura tamquam rationis veritates debent posse ad unum supremum principium reduci, unde oritur scientia jurium gentium, quæ est *Jus gentium naturale subjective sumtum.* 2-o Supremum, ex quo omnia gentium jura derivari possunt, principium sequenti formula bene enunciatur: Omnes liberæ externæ actiones, quibus inter gentes socialitas non turbatur, sunt justæ, contrariæ injustæ (§. 152.). Juribus gentium correlatæ sunt obligationes, & officia juris, quorum principium cognitionis objectivum est: Omitte omnes eas actiones, quibus libertas gentium cum universali conciliabilis restringeretur. (§. 13.).

§. 158.

Jus gentium naturale vel est *absolutum*, vel *hypotheticum.* Illud connata gentium jura ex solo gentium tamquam moralium personarum consideratarum conceptu derivata, hoc vero jura, quæ gens quoquo modo acquirere potest, tradit. Differt autem 1-o a *jure gen-*

tium arbitrario, seu *positivo*. Quia a) illud sola ratione, hoc autem arbitrio & consensu gentium determinatum esse, cogitatur. Positivum jus gentium est vel *consvetudinarium*, vel *pactitium*, prout consvetudine tamquam tacito, vel pacto, tamquam expresso consensu introducitur. b) Quia jus gentium naturale est universale, non item positivum. Nam pacta inter omnes populos celebrata, consvetudines, apud omnes gentes introductæ, in medium produci eominus possunt, quod plures sunt nationes, quæ vix nomine, nedum societate, & commercio aliis innotescunt. Illud tamen nemo iverit inficias, esse inter aliquas gentes specialia pacta, diversaque fœdera inita, esse etiam consvetudines, usu & moribus inter Europæ populos potissimum introductas; proinde dari inter gentes nonnisi jus gentium positivum particulare. 2-o a *jure naturali extrasociali singularium*. Quia natura hominis a natura gentis utique est diversa, sane aliter nascuntur homines, aliter gentes, hæ aliter, ac illi vivunt, crescunt, atque intereunt, & porro aliter etiam perfici, aut violari possunt. Ideo fit, ut existant omnino conclusiones non paucæ, quibus etsi actiones singulorum hominum haud regantur, iis tamen facta integrarum gentium adplicanda sint. Hinc etiam non male definitur jus gentium naturale sic, *esse jus naturæ singularium ad negotia gentium adplicatum*, *atque per notionem earum magis determinatum*. 3-o *a ratione status*; hæc enim non id, quod justum, sed quid in speciebus obvenientibus utile sit, declarat. Quapropter, quæ §pho 21-o de discrimine inter jus naturale, & politicam generatim tradita sunt, etiam speciatim ad jus gentium, & rationem status oportet adplicare.

CAPUT IX.

De juribus connatis seu absolutis gentium.

§. 159.

Cum quævis gens respectu aliarum gentium tamquam persona moralis, proinde ut subjectum jurium, consideranda sit: fieri nequit, ut sine juribus connatis primitivis, quæ omnium reliquorum basim, seu fundamentum constituunt, cogitetur. Inter quæ jus *eminenter primitivum* (formale) a juribus *derivativis* (materialibus) distingvitur, & est jus (moralis) *personalitatis*, i. e. jus in relatione ad alias gentes dignitatem entis rationalis & liberi conservandi, tuendique, (non admittendi ut ab aliis instar rei habeatur) quod potest in jus personalis subsistentiæ, libertatis, & æqualitatis resolvi (§. 43.). Materialia jura connata vel respiciunt *personam*, (propriam, vel gentium vicinarum) vel *rem*. Respectu propriæ personæ consideratæ in toto quælibet gens habet *jus independentiæ*, seu libertatem ab omni cogente arbitrio vicinæ gentis. Quare illas actiones libere, ac nemine alio consulto determinare potest, quibus in aliarum gentium sphæram non involat; hinc 1-o gentes in his terris nullum Dominum, aut superiorem agnoscunt, nullique igitur alienæ legislatoriæ, inspectoriæ & executoriæ potestati subjectæ sunt, proinde ab omni aliena potestate judiciaria, & jure puniendi immunes sunt, 2-o quævis gens jure gaudet formam imperii, quæ magis placet, eligendi, eamque pro libitu sive ex toto, sive ex parte immutandi, 3-o jura imperii sive in negotiis civilibus, sive ecclesiasticis arbitrarie exercendi, quin exercitii istius rationem cuivis alteri gen-

ti reddere teneatur. 4-o titulum Imperatoris, Regis, Ducis, quem voluerit, assumendi in suo, & ab aliis independente territorio. Quod vero aula Romana Reges *Apostolicos*, *Christianissimos*, *Catholicos*, *Fideidefensores*, *Fidelissimos* nominaverit, aliis ex principiis, nimirum societatis ecclesiasticæ natura, repetendum est. 5-o Nulla gens cives alterius nationis in loco nullius, vel tertii deprehensos, aut eorum naves, vel merces suæ jurisdictioni subjicere potest. Denique 6-o nullas primitus inter gentes dari prærogativas, nulla præcipua jura, sed cuilibet idem jus formale (personalitatis) & inde fluentia connata jura materialia eadem concedenda esse, manifestum est. Fuere quidam, qui a gentium antiquitate *proedriam;* interim a sola inæqualitate temporis ad inæqualitatem juris non valet consequentia: qui ab artium & disciplinarum flore, ac puritate religionis *majorem existimationem;* interim virtutes intellectus, aut voluntatis adquisitæ existimationis sunt mensura: qui denique a vehementiori potentia, aut plurium regnorum nexu *prærogativam* comprobari posse judicarunt; interim hi noverint a majori potentia physica majorem potentiam moralem haud involvi.

§. 160.

Ex jure personalitatis mediante jure independentiæ consideratis partibus personæ sequentia jura derivantur: 1-o jus *se conservandi*, h. e. suam existentiam, tamquam gens, quamdium possibile est, continuandi. Hinc fluit a) facultas omnes extraneorum actiones læsivas impediendi, & avertendi. Nisi enim membra, personam moralem (gentem) con-

stituentia, conserventur, ipsa gens perdurare nequit, b) jus conservandi *nexum civilem*, proinde unionem, constitutionem, & subjectionem, utpote partes constitutivas nexus civilis, c) facultas ad jura imperii in non impedito exercitio conservanda. Quia sine his duobus juribus nulla gens existere, & activitatem suam exserere potest, 2-o jus *se perficiendi*, id est, habilitatem finem suum obtinendi promovendi. Hinc quævis gens jure gaudet enitendi, ut in dies aptior fiat ad finem Civitatis assequendum, quod fieri potest per emendationem constitutionis, & internæ administrationis, quæ circa potestatem judiciariam, politicam, finantialem, & rem militarem versatur, ac perfectionem virium animi, & corporis, augmentumque bonorum civium singularium, 3-o jus *bonæ existimationis*, seu facultas exigendi, ut tamdiu pro lædente non habeatur, donec contrarium sufficienter probatum fuerit. Denique 4-o quævis gens habet jus rebus, ceu mediis, ad arbitrarios fines obtinendos utendi, & ad jura sua sarta tectaque conservanda jus *securitatis*, *indemnisationis*, & *coactionis* exercendi. Vi juris ad res quælibet gens potest res, quæ nullius esse cognoscuntur, occupare, reliquas vero per *pacta* acquirere. Respectu vicinarum gentium gentibus competit jus ad earumdem *conservationem*, & *perfectionem* concurrendi cum observantia eorum limitum, quos personæ physicæ respectu personarum alienarum observare debent (§.47). Communis horum jurium ratio sita est in eo, quia cum supremo juris gentium principio consentiunt, & quia quodvis eorum, quin acquisitionis actu opus sit, sola ratione intelligitur. Juribus his character *inalienabilitatis*, & *æqualitatis* eo prorsus sen-

sensu tribuitur, vel denegatur, quo eum juribus connatis physicarum personarum tribui, vel denegari posse §§phis 53, & 44. ostendimus. Ex recte intellecta originaria æqualitate gentium fluit, quod, quidquid una gens in causis aliarum gentium justum, vel injustum declarat, id quoque in suis causis justum, vel injustum agnoscere debeat.

§. 161.

Nonnulli juris gentium doctores ex jure se conservandi jus *extremæ necessitatis* gentium derivant, vi cujus genti, ad extrema redactæ, naves alienas arripere, detinere, iis uti, aut fortalitia vicinarum occupare, accedere ad portus vicinos pro aqua, & alimentis, sedes quærere, propriis vi ademtis, emere merces necessarias, licitum est. Jus istud iisdem moti argumentis inter gentes dari negamus, quibus contra illud in jure naturali extrasociali singularium pugnatum est (§. 95.). Si igitur jus extremæ necessitatis inter gentes obtinet, illud ex jure gentium positivo, aut moribus populorum repetendum est.

CAPUT X.

De officiis gentium connatis.

§. 162.

In determinato systemate juris gentium proprie tantum obligationes, & officia juris, utpote juribus correlata, exponenda forent. Interim, quia ad clariorem cognitionem officiorum juris multum conferre potest, si in casibus singularibus etiam ejus respectus habea-

tur, quod ut officium juris affirmari non potest, & quia inter gentes dantur tales modi externæ conformationis, de quibus dubium oriri potest, an ad officia justitiæ referenda sint, nec ne; ideo utile erit officiis justitiæ officia æquitatis (humanitatis) præmittere, quorum principium cognitionis est: Quamvis vicinam gentem tracta ut finem. (In quantum potes, promove ejus veram perfectionem). Hinc fluit gentes comes, humanas, misericordes esse oportere non modo erga amicos, verum etiam inimicos; siquidem & horum odium perfectioni gentium repugnet. Ideo fit, ut tam in prosperis rebus, veluti nuptiarum, nativitatis, coronationis, pacis, quam etiam in adversis, ut mortis, perduellionis, terræmotus vicini populi, ac eorum Rectores, aut gaudium, aut dolorem sibi invicem testari consveverint. Atque hæc amoris significatio nec propter bellum, quo duo populi sunt inter se implicati, nec ob oppositas de modo colendi Deum sententias exceptionem admittit. Quia etiam inimici, & diversæ religionis sectatores sunt personæ, proinde & pro iis pugnat lex, quæ præcipit personas, ut fines, esse tractandas, nisi officia gentis erga se ipsam e. g. tempore belli, in parte contrarium postularent, non enim alias magis, quam semet ipsam perficere obligatur.

§. 163.

Tractatio aliarum gentium, ut finium, consistit imprimis in activo conatu *internum*, & *externum statum* earumdem *perficiendi*. Ad statum internum refertur intellectus, voluntas, & vires corporis. Hinc fluit officium 1-o ut veræ de Deo, ejusque attributis senten-

tiæ aliis gentibus doctrina, & exemplo instillentur, quia per veram religionem intellectus, & voluntas gentium maxime perficitur. Præterea ex uniformi, rectaque divini cultus cognitione novum quoddam, idque fortissimum societatis vinculum ducitur. Quare a) collegium de propaganda vera religione institutum laudari satis nequit, b) impium, & iniquum est fovere errores, & falsam religionem apud alias gentes ob proprium commodum, potissimum ob physicam Civitatis potentiam augendam. Quia præter id, quod licitus finis immoralia media sancta reddere non possit, tale commodum fere semper est tantum apparens, & transitorium. Cæterum in hoc officio adimplendo independentia alterius gentis est præ oculis habenda, & ideo vis, metus, & coactio ad tradendam notitiam summi numinis non sunt adhibenda, neque invita gente doctores religionis mitti possunt. 2-o ut gentes leges suas, regiminisque dispositiones, scientias, atque artes sibi mutuo communicare, & novas in dies veritates collata opera detegere contendant. Quia pacifica coëxistentia populorum per uniformitatem legum plurimum promovetur, & studia literarum, ac ingenuæ artes homines reddunt cultiores, moresque solent emollire.

§. 164.

Perfectio status externi in *positiva* gentis *existimatione*, *rerum omnium abundantia*, & in *ambitu*, intra quem *regiminis dispositiones* ab aliis gentibus *pro efficacibus* agnoscuntur, continetur. Hinc officium est 1-o acquisitas prærogativas e. g. fortitudinem, justitiæ amorem &c. aliarum gentium factis re-

cognoscere, e. g. congruo titulo. 2-o efficere, ut gentes ea, quæ ad suam necessitatem, utilitatem, aut etiam jucunditatem pertinent, facilius consequantur. Quum vero non omnia omnis ferat tellus, consequens est, ut ex copia unius regionis alterius inopiæ sive per contractus beneficos, sive onerosos succurrendum sit. Postulat igitur humanitatis ratio, ut aliis non ea præstentur modo, quæ dantibus parum damnosa sunt, sed etiam, quæ non sine detrimento tribui possunt, uti esset annona, penuria ingruente, aut miles, quo injustus hostis depellatur. Aptissimum medium ad res sibi invicem titulo oneroso communicandas est *commercium*, hinc 3-o officium est, ut nulla gens de eo, quod ad commerciorum florem conferre posset, quidquam a se desiderari patiatur; ideo a) *emporia*, *nundinæ*, & *portus* constituantur tuti, quo merces invehi, evehi, commodeque permutari sine magna mora possint: nominentur *Consules*, seu personæ, quæ in emporiis, & portubus privilegia gentis suæ custodiant, & lites inter mercatores ortas breviter, & sine magnis sumtibus definiant. Quia hæc sunt media ad commerciorum florem promovendum. b) *propolium*, seu privilegium emendi res invectas, antequam aliis eas emere liceat, & *jus stapulæ*, seu jus sistendi merces in certis locis, ut eas vendere, aut secus tributum præstare necesse sit, non facile concedatur, leges vero in extraneos injuriæ, nimiaque vectigalia abrogentur. Quia hæc sunt impedimenta, quominus commercia inter gentes florem consequantur. 4-o Æquitas postulat, ut gentis unius dispositiones super suis subditis, & his conformia acta, gestaque subditorum aliæ gentes pro firmis, validisque agnoscant; quæ

enim id facere detrectat, agit contra officium erga se, exponit enim se retorsioni. Adimpletio vero hujus officii alleviat peregrinationem subditorum peregrinorum, & promovet commercium. Atque inde est, ut jura nobilitatis, pubertatis, majorennitatis, aut familiæ etiam in alia Civitate agnosci consveverint, ut testamenta, matrimonia, aliique contractus, si ad formam loci, in quo celebrantur, sint adcommodati, etiam alibi pro validis habeantur.

§. 165.

Si quis dixerit a regulis politices alienum esse, iis præbere auxilia, qui hæc ipsa in interitum dantis aliquando convertere possunt: respondebimus, hinc non aliud conficitur, quam ut tenendus sit beneficii, & permutationis modus, ut nunquam officia, quæ quævis gens sibi ipsi debet, prætermittantur. Etenim prodesse aliis haud obligamur, si gravius inde in nos redundaturum est incommodum. Quapropter cujusvis gentis judicio relinquendum est, an, & quomodo valeat aliis opem ferre. Ex quo facile comprehendere licet, gentis esse judicium, an arbitri munus inter duas gentes, quæ bellum gerunt, ipsa suscipere possit, an commercia, nullo pacto speciali definita, cum vicinis prosequi, vel restringere, mutare, aut etiam penitus tollere velit. Hinc suapte sequitur 1-o gentem ad hæc officia non obligari, ut *talem*, sed tantum ejusdem singularia membra, & quidem eatenus, quatenus nullum officium juris ex nexu civili promanans obstat. 2-o gentem, quæ hæc officia negligit a coactione esse immunem, & non injustam, sed solum iniquam dicendam tamdiu, quamdiu probatum non

fuerit, hæc officia per pacta in officia justitiæ esse mutata. Quamquam vero ad hæc officia præstanda gentes cogi non possint, tamen proprium commodum cujuslibet gentis est urgens motivum hæc officia observandi (§. 61.).

§. 166.

Propria materia hujus capitis sunt officia juris (perfecta) (§. 162.), quibus si aliqua gens non satisfecerit, tribuet jus cogendi aliis adversus se (§. 68.). *Originale (connatum) officium juris* est talis externa conformatio gentis, quæ propter jus connatum alterius gentis est necessaria (§. 62.) Pro his officiis cognoscendis supremum principium bene exprimitur sic: Quævis gens ab iis actionibus abstineat, quibus libera alterius gentis, intra limites suæ juris sphæræ operantis, activitas limitatur. (§. 157.). Unde manant sequentia connata officia justitiæ: 1-o Non viola personalitatem (moralem) alterius gentis. 2-o Non aroga tibi propria auctoritate imperium in aliam gentem; (non turba æqualitatem sensu stricto intellectam inter gentes) ideo injusta est gens, quæ exterorum negotiis ultro se immiscens judicium de iisdem adfectat, quæ religionem suam aliis vi obtrudere nititur, quæ contumaciam subditorum gentis alterius contra legitimum suum imperantem fovet, aut electioni imperantis se immiscet. 3-o Non promove sive in toto, sive in parte vicinæ gentis interitum, proinde personas, & res illius non viola, ideo injusta est gens, quæ rerum alterius gentis possessionem sibi adrogat, aut personas civium vel militiæ, vel nuptiarum, vel cujuscunque alterius scopi causa abducit. Quodsi hujusmodi actus certæ genti permittantur,

quisque facile intelliget etiam conditiones, sub quibus ea permissio facta est, rite esse implendas. 4-o Non impedi illam in sui perfectione, vel 5-o dum ad aliarum gentium conservationem, & perfectionem confert. 6-o Non viola jus connatum bonæ existimationis alterius gentis per calumnias. 7-o Admitte ei, ut res externas tamquam media ad suos fines applicet, ideo læsio est gentis, si in possessione, usufructu, & dispositione rerum suarum quoquo modo impediatur. 8-o Admitte, ut jura sua sive mediis coactivis, sive noncoactivis persequi possit. 9-o Respectum habe proprietatum jurium connatorum: inalienabilitatis, & æqualitatis eorumdem; proinde nullam tibi vindica præcedentiam, aut prærogativam. Interim gens alteri novum adscribere titulum, certum adsignare locum, res inter suos cives permutandi facultatem dare potest, quin reliquæ gentes, quibus hæc omnia denegat, de injuria conqueri possint; proinde etiam nulla gens, ne cum extraneis commercia excolat, aut ab amicis obtineat auxilia, aut aliter modis licitis suam augeat potentiam, potest prohiberi. (§. 67.).

§. 167.

Ad quæstionem, an gens exercitui novas sedes quæsituro, aut hostem suum petituro transitum per suum territorium denegans, vel peregrinis, fæminarum inopia laborantibus, connubia cum suis fæminis non admittens, vel denique pereginos in suum territorium haud recipiens, injustitiæ accusari possit? respondemus negative; hæc enim rarius sine majori molestia, nunquam vero nuda patientia præstantur. Nam qui armatam multitudi-

nem in suum territorium admittit populus, ei tum ab ipsis transeuntibus, tum ab horum adversariis impendet periculum: dein si gens passim peregrinis concederet fæminas pro matrimonio, facile multi ex propriis subditis sine uxoribus esse deberent; cum evictum sit, æqualem fere nasci numerum marium, & fæminarum: denique natio domo ejectis, vel quibuscunque peregrinis domicilium tribuens facile indigentiæ periculo suos cives exponet. Imo gentes hæc denegantes nec inhumanitatis quidem alicujus argui possent, si angustum esset territorium, si a religionis diversitate turbæ metuerentur, si ignava foret multitudo, vel infida, quæ abuti beneficio, & ipsos antiquos habitatores expellere posset.

CAPUT XI.

De juribus acquisitis, modo originario, & derivativo.

§. 168.

Præter jura connata gentes acquisita jura habere possunt; si nimirum tale factum seu unilaterale (occupationem), seu bilaterale (pactum) ponant, quo unius sphæra juris ampliatur, & aliarum restringitur (§. 69.). Occupatione facta acquisitio est *originaria*, pacto *derivativa*. Utrumque modum acquirendi apud gentes vigere patet. Nam gentes sunt personæ morales, proin habent jus connatum rerum, & vi hujus jus occupandi, quod si ad hoc jus in effectum deducendum necessarias actiones susceperint, jus dominii ita inter gentes, sicut inter personas physicas in statu naturali viventes, oriatur, est necesse (§§. 72. 73. 79.). Et cum gentes quoque juri suo in

favorem alterius gentis, si acceptaverit, renunciare possint, certum est jus dominii etiam derivativo modo, i. e. pacto in aliam gentem transire posse. Eos autem qui negant verum jus dominii inter gentes dari ad §phos 80 — 84. inviamus.

§. 169.

Gentium dominium *sensu subjectivo* est jus gentis de re arbitrarie, & exclusive disponendi; *sensu* vero *objectivo* est complexus earum rerum, ad quas Civitati jus dominii competit. Acquiritur autem dominium a gentibus modo originario, quando 1-o objectum est nullius. Ideo occupationem ad loca, ab alio populo, vel etiam familiis segregibus inhabitata, etsi fingas nationem stupidam, proprietate abutentem, religionis, humanitatisque expertem, non pertinere, nemo non intelligit, ita bona naufragorum ad littora gentis adpulsa, ut pote non res nullius, occupari nequeunt: (§. 92.), possunt tamen salvari, custodiri, & tamdiu detineri, donec pro expensis, in hunc finem factis, satisfactio præstita non fuerit (§. 90.), hæc facultas vocatur *jus colligendi naufragium.* 2-o apprehensionis, 3-o signationis capax. 4-o exhausti usus (§. 74 — 76.). Quare oceanus in nullius gentis dominium cadit, ut pote, qui nec apprehendi, nec sufficienter signari potest: At freta, sinus, & littori proxime adjacentes partes, portus, brevia, & his similia a gentibus, non item a singularibus hominibus possunt occupari. Nam mare, terræ proximum, non est inexhausti usus, sed capiendis piscibus, margaritis, cochleis &c. inservit, & teste experientia gentes illud certis terminis definire, tum

vicinis classibus, ac tormentorum explosione possidere, ac defendere consveverunt. Atque inde fit, ut *possessoribus* invitis ab exterorum navibus ea loca non modo non teneri, sed neque prætervehi permittantur. Occupatio per totam gentem, vel ejus plenipotentiarios facta, condominium producit, seu communionem positivam tamdiu duraturam, donec vel in minores societates, vel in singulos cives certæ portiones subdividantur. Hinc gentis res vel sunt *communes*, seu *nullius*, vel *alicujus;* hæ vel *jacentes*, vel *propriæ*, & propriæ vel sunt *publicæ*, vel *privatæ*, quæ vel sunt *bona universitatis*, seu societatis minoris, vel *bona singulorum.* Sed uti publicæ res possunt fieri singulorum propriæ, ita interdum privatæ possunt in publicas permutari.

§. 170.

Gentes ob conjunctionem virium ampliora loca occupare possunt, quam homines singulares, vel familiæ, e. g. certum territorium, partem maris, fluvium, insulam, & si gens regionem vacuam animo sedes figendi ingrediatur, certisque limitibus circumscribat, proprietatem generalem, vel ut Grotius vocat *dominium per universitatem sive universitatis rerum* acquirit, ut adeo quidquid inclusum sit in territorio, etiam pars territorii esse censeatur. Ideo habet jus omnia, quæ supra, & subter sunt, exclusive possidendi, ex iis emolumentum percipiendi, & de iis disponendi (§. 85.). Hinc fluit 1-o jus de omnibus *naturæ productis*, uti sunt montes, sylvæ, pascua, & quævis inculta loca, dein flumina, rivi, alvei, insulæ, stagna, lacus, paludes, quæque his accedunt, bestiæ volatiles, terre-

stres, ac natantes, nec non metalla, & alia fossilia. Læderet igitur gentem populus, qui solum vacuum, & sterile, intra territorium ejus situm, adimere conaretur, quod vel pascendis gregibus, vel saltem avertendis hostium incursionibus inservit. 2-o jus de *industria productis* disponendi, uti sunt casæ, domus, arces, villæ, oppida, urbes, vineta, agri, ceteraque manu & arte facta. 3-o Omni extraneo qualemcunque influxum in hæc objecta denegandi, imo nec ingressum in territorium suum admittendi, aut statuendi, quanam lege exteris transitum, & commorationem in territorio suo permittere velit.

§. 171.

Si gens una insulam vacuam detegeret, aut etiam grandioris tormenti globum in illam vibraret, altera vero eandem ingrederetur, & talem notam ei inderet, ex qua animus sibi habendi eluceret, hujus, non illius insula fieret propria. Quia sola cognitio objecti immediate acquiribilis, vel medium apprehensionis non idoneum ad obtinendam proprietatem haud sufficit.

§. 172.

Ex eo, quia gens occupatione acquirit dominium alicujus insulæ, non sequitur, ab eadem acquiri imperium in homines, vel familias ibidem deprehensas; cum homines non sint res, sed personæ (§. 73 & 74.). At si tales personæ libertatem suam non tueantur, maneantque ibi, veniunt in imperium gentis, territorium occupantis vi taciti pacti subjectionis, & gens non tam novum acquirere im-

perium, quam potius vim antiqui in eos proferre videtur, prout etiam in illos, qui terram ita occupatam sive perpetuæ habitationis causa, sive etiam ad tempus accessuri sunt.

§. 173.

Vi juris territorialis cuilibet genti est jus transitum, & commorationem in territorio suo aliter alicui non permittendi, nisi ut subsit potestati civili, adeoque exterritorialitas nulla præsumitur, sed eam probare, & expresse concessam esse oportet. Ex quo conficitur, ut 1-o imperans, ceu repræsentans gentis, causas controversas in suo territorio agnoscere, atque decidere jure possit, ut ejus sententia in peregrinos lata justa præsumi debeat. 2-o ut delinquens in alieno territorio pœna in foro delicti statuta adficiatur; 3-o ut *jus albinagii*, quo exteri jure successionis in bonis defuncti civis, vel peregrini excluduntur, humanitati quidem gentium repugnet, non autem justitiæ, si noverint peregrini, sub hoc tantum onere aditum sibi in alienam regionem patere.

§. 174.

Vi juris dominii quævis gens habet jus rem suam pro libitu formandi, eam usu consumendi, destruendi, derelinquendi, vel totam, vel partem ejus in alios transferendi. Ex quo facile intelligitur, 1-o quomodo genti jus pignoris in re alterius gentis, vel jus servitutis esse possit (*servitus gentium*), id est jus reale, vi cujus gens altera in gratiam, & emolumentum alterius gentis aliquid in re sua vel omittere, vel admittere debet. e. g. si nul-

la fortalitia ipsi ædificare liceat, aut collectionem militum in suo territorio admittere obligetur. 2-o quomodo jus dominii limitari, & exstingvi possit. e. g. per pacta, per dispositiones mortis causa. At jus extremæ *necessitatis*, *præscriptionis*, *innoxii usus* bonorum alterius gentis e. g. fluviorum, maris subjecti, littoris ad reficiendas naves &c. gentibus, ex rationibus, §pho 94—96. allatis, denegamus.

§. 175.

Alter modus, quo gentes jura acquirere possunt, sunt pacta inter gentes celebrata (§. 168.), quæ vel sunt *privata*, vel *publica* prout inter privatas personas, vel inter gentes ineuntur. Pacta, quæ inter populos, aut eorum repræsentantes, nempe Rectores, de negotiis publicis sanciuntur, *conventa publica* nominari consveverunt. Hinc pacta, quæ civis cum cive, aut civis cum populo extero, imo & imperantes inter se ineunt in negotiis privatis, veluti si filia a rege alteri regi despondeatur, non sunt conventa publica. Quamquam & hæc, quatenus rectores Civitatum jus, & obligationem habent jura suorum subditorum ex privatis pactis, cum extraneis conclusis, promanantia tuendi, & hos ad obligationes inde profluentes cogendi, eatenus ad publica referri posse videantur.

§. 176.

Conventa publica, quorum objectum est tantum singularis & transitoria præstatio, *pactiones*, quorum vero objectum est durabilis præstatio *fœdera* appellantur. Hæc vel sunt *simplicis amicitiæ* (pudenda), vel *arctioris*

conjunctionis (non pudenda), prout præstationem, ad quam gens una erga alteram juris lege naturali, vel nullatenus, aut solum lege humanitatis obligabatur, involvunt. Priora, etsi nihil præter id constituant, quod jam juris est naturalis, tamen cum hostibus, & iis, qui peregrinos hostium accensent numero, utiliter sanciri consveverunt. Posteriora naturalibus officiis superaddunt, & vel ad commercia, navigationem, transitum, vel ad juris defensionem, aut persecutionem, aliaque quam plurima belli, & pacis negotia spectant.

§. 177.

Fœdera arctioris conjunctionis iterum *æqualia* sunt, vel *inæqualia*, prout æqualem præstationem ex utraque parte fœderantium involvunt, vel non. Inæqualitas fœderum oritur 1-o ratione honoris, si fœdere sit comprehensum, ut una gens alteri aliquam concedat prærogativam, eive quædam honoris, aut reverentiæ signa exhibeat, ac ipsius imperium comiter venerari, & conservare teneatur. 2-o ratione libertatis, si una ex confœderatis gentibus mœnia diruere, navigatione abstinere, certam gentem bello non adgredi, aliamve servitutem juris gentium constituere debeat (§. 174.). 3-o ratione imperii, si jus quoddam majestaticum, vel ejus exercitium a voluntate alterius gentis dependens efficiatur: veluti, ne bellum gerere possit. Solum ultima species fœderum tollit æqualitatem gentium sensu stricto sumtam, quæ in independentia unius ab altera sita est.

§. 178.

Porro fœdera vel sunt *personalia*, vel *realia*, prout jura, & obligationes inde pro-

fluentes ad durationem paciscentium restringuntur, vel non. *In dubio omne fœdus est reale præsumendum.* Quia omnia fœdera sunt species conventorum publicorum, quæ Rectores tamquam repræsentantes gentium, proin ipsæ gentes concludunt (§. 175.), & quibus genti jura, & obligationes acquiruntur; gentes autem exstinctis suis Rectoribus non exstingvuntur. Ideo in dubio non adest ratio sufficiens, ob quam fœdera, etiam a Monarchis inita, pro personalibus haberi deberent. Fœderum itaque personalitas nonnisi vel ex verbis, aut ex causa contrahentium, vel ex natura negotii cognosci potest. Ast personale non efficitur fœdus, si nomina paciscentium sint adjecta; quum plerumque persona pacto inseratur, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstretur, quocum pactum initum sit, si fœdus ad tempus, veluti ad quinquaginta annos, vel ad certum reipublicæ statum fuerit restrictum; quum in utraque specie jus, & obligatio pactitia ad successores transire possit.

§. 179.

Fœdera tam simplicis amicitiæ, quam arctioris conjunctionis non modo cum gentibus veræ, sed etiam falsæ religioni addictis valide concludi possunt. Quia fœdera sunt pacta, ad valorem autem pactorum sufficit verus consensus, & possibilitas præstationis (§. 99.), quorum neutrum tollit falsa religio. Hinc, qui contrarium affirmaret, religionem suam valde suspectam redderet.

§. 180.

Maxime memoratu dignum fœdus inter gentes est, quod *Systema Civitatum*, vel *con-*

fœderatio Civitatum audit, est vero promissio plurium gentium super præstanda sibi mutua defensione adversus externos hostes acceptata. Ex hac systematis civitatum definitione sequentes ducuntur conclusiones: 1-o principia, supra de familiis in pacto securitatis (§. 155.) suppeditata, nunc ad fœderatas gentes accomodari debent. 2-o Systema Civitatum Civitas non est, cum commune desit imperium, qua de causa ab unione Civitatum differt. 3-o negotia communia per unanimia, vel per plura unanimiter introducta vota singularium gentium in conventu repræsentantium earumdem determinanda sunt. 4-o quælibet fœderata Civitas suam pristinam retinet formam, & majestatem immutatam, quia tantum paciscuntur de ferendo sibi mutuo auxilio, sed eoipso, quando ab hoste impetitur, ab omnibus exigere potest, ut se unitis defendant viribus, ne secus systema dissolvatur. 5-o Salus Civitatis unius saluti totius systematis Civitatum præferri non potest; cum in collisione duorum bonorum inæqualium majus eligendum sit. 6-o fœderatio hæc oritur ex pactis, quæ tamdiu sancte servanda erunt, quamdiu pars altera facit, quod conventum fuit.

§. 181.

Fœdera, quibus nullum essentiale requisitum deest, pariunt jus genti exigendi promissum ab ea, quæ promisit, si casus existat fœderis (§. 110.). At si error, vel dolus substantialis intercessit, fœdus est nullum, sub accidentali autem errore, vel dolo initum fœdus subsistit, sed obligationem damnificato præstandi damnum post se trahit (§. 102 — 104.).

Etsi

Etsi vero ad mutua gentium officia illud quoque pertineat, ut æquitatis habeatur ratio in fœderibus pangendis, ea tamen, quæ sine errore, ac dolo, & a consentientibus facta sunt, æqua censentur, licet fuerint inæqualia; plures enim possunt subesse justæ causæ, ob quas ab æqualitate recedatur. Quare nulla tunc competit restitutio prætextu læsionis (§. 137.). Si denique fœdera in dubitationem adduci contigerit, juxta regulas interpretationis pactorum, proinde juxta communem usum loquendi, contextum, & finem, ob quem conclusa sunt, decidi debent. (§. 119 — 123.). Hinc fœdus, ne populo bellum inscio altero facere liceat, necessariam defensionem haud excludit, ne bellum contra alterius socios suscipiatur, præsentes, non futuros socios, includit. Et, quemadmodum aliis pactis, ita fœderibus quoque non modo expressæ, sed etiam tacitæ inesse possunt conditiones; nam & in his quædam natura insunt, quæ impleri justum est, licet non fuerint expressa. Ideo præstare promissa auxilia nequit, qui domi suæ hostem habet: item, qui receptus est a gente, tacite promittit, se adversus ejus societatem nihil esse facturum.

§. 182.

Concurrunt aliquando plura fœdera potissimum bellica, atque inter se confligunt, quocirca quodnam præferri debeat, dubitatur. Sciendum igitur est, priorem tempore fœderatum, nisi ejus causa aperte injusta sit, jure esse potiorem, siquidem ei jus ex fœdere quæsitum per pactum, cum secundo initum, auferri nequit (§. 107.). Qui tamen fœdus init secundum, & prius initum dissimulat, dolo

malo agit, adeoque omnem indemnitatem læso præstare tenebitur (§. 105.). Si autem uno eodemque tempore initum esset fœdus cum pluribus gentibus, videndum est, an arma in extraneum moveantur, & tunc auxilia utrique fœderato eadem simul imploranti pro rata sunt præstanda; vel ipsi fœderati invicem se bello petant, neutri fas erit milite succurrere; uni non propter æquale jus alterius prætendendi auxilia: utrique non; quia æqualiter divisæ vires, sibi oppositæ, se elidunt, pactoque unionis adversatur, ut cives ejusdem gentis se mutuo trucident.

§. 183.

Inter gentes concluduntur etiam *cautionis pacta:* quæ vel sunt *communia* pactis, inter homines singulares, & fœderibus, inter gentes initis: uti oppignoratio, & fidejussio (§. 145 — 146.), vel *propria* tantum fœderibus: uti *obsidis datio*, & *guarantia. Obses* est persona, ab una gente alteri data, in securitatem juris pactitii custodiendi. *) Ex inalienabilitate juris personalitatis evidens est, aliam gentem jus non in vitam innocentis obsidis, sed solum in libertatem ejusdem, si eum dans fidem fefellerit, obtinere.

§. 184.

Ex data definitione colligitur: 1-o Supremam potestatem solam jus habere dandi obsides, quia hæc sola vi juris repræsentatitii to-

*) Personæ, quæ vi & armis in securitatem contributionum abducuntur, mancipia potius quam obsides dicendæ. Mancipia juri belli indefinito subsunt, non item obsides.

tius gentis nomine agere, atque publica cum aliis gentibus pacta inire potest. Ceterum, quoniam peregrini nonnisi pro eo tempore, quo commorantur in territorio alieno, se subjiciunt ejusdem imperanti, nec ad aliud se obligant, quam ad non turbandam securitatem illius territorii (§. 173.), hi etiam obsides dari inviti non poterunt; proinde solum subditi sensu proprio sine discrimine sexus, ætatis, & status consentientes, vel inviti possunt esse objecta hujus juris. 2-o Jus gentis, obsidem accipientis, proxime ejus custodiam spectare, ex qua aufugere obsidi non licet, quia fugiens jus pignoris gentis, cui datus est, violaret, ideo etiam a gente sua remittendus esset. Attamen obses statim servus non fit, res, & actiones suas pro arbitrio moderatur; nam cogere illum ad præstandas operas idem foret, ac creditorem re oppignorata uti. Quamprimum vero gentis, a qua traditus est obses, adparuerit perfidia, obses in captivitatem, ac servitutem redigitur sine injuria (§. 146.); propterea tamen jus ad bona obsidis Civitati, hunc custodienti, non competit, sola enim ei obsidis persona, non autem bona ejus oppignorantur, nisi obses fidejussor simul, vel expromissor fuisset. 3-o Obside mortuo ad hæredes ejus obligationem non transire, nisi una cum familia sua datus fuisset pro obside. 4-o Obsidem, si imperium Civitatis, a qua datus, consequatur, de regula obligatione sua liberari. Quia in obsidis datione conjungitur voluntas imperantium super subdito; proinde in hoc casu ea circumstantiarum mutatio evenit, a qua non secus, ac tacita conditione jus pactitium pendere sumitur. (§. 125.). An in locum decedentis alia similis notæ persona substitui debeat, facile

intelligitur, si constat, an objectum obsidis dationis omnimode, vel quoad genus tantum determinatum fuerit. 5-o Obsidem obligatione, in cujus securitatem datus est, impleta, dimittendum esse. 6-o Morte obsidis, ad tempus domum dimissi, alterum, qui in securitatem reditus ejus datus est, detineri non posse, nisi obligatio domum discedentis ad alterum transferatur.

§. 185.

Quæri hoc loco solet, an obses præstitis, in quorum securitatem datus est, aliam ob causam detineri possit? Si obses proprio suo facto e. g. contractis, & non solutis debitis novam causam detentionis suæ suppeditavit, tum communis est omnium jurisperitorum sententia, illum jure reditu in patriam prohiberi; quia imperans subditorum suorum jura necessariis, & efficacibus mediis etiam adversus extraneos lædentes tueri potest, & debet, qui tamquam subditi temporarii ejus supremæ potestati subsunt. (§. 173.). Si vero causa negatæ libertatis obsidum Civitas est, quæ e. g. publicum debitum elapso tempore definito expungere cunctatur, obsidem secundum nonnullorum sententiam detinere nefas est, tum quia ex facto tertii nemini accrescere potest obligatio, tum quia, si obses impleta obligatione, in cujus securitatem datus est, non dimittitur, contra tacitam pacti conditionem agitur, tum denique quia, si contrarium affirmaretur, nimiis cavillationibus aperiretur via. At prima ratio tunc solum est vera, si ille tertius non sit noster mandatarius, aut superior, altera vero subsistit, si Civitas obsidem dans aliam obligationem, qua

erga gentem, obsidem recipientem, tenebatur, non violavit, tertia denique nihil probat, sed solum cautas reddit gentes. Ideo contrariam sententiam Grotii amplectimur asserentes, obsidem præstitis etiam, ob quorum securitatem datus est, aliam ob causam Civitatis suæ detineri posse; quia tali in casu genti læsæ jus pignoris in omnes Civitatis lædentis subditos, adeoque etiam in obsides exercere licet. Dein creditor, pignus possidens, expuncto etiam primario debito pignus retinere potest, si illud necessarium medium est ad avertendam juris læsionem, ut inferius ostendetur; sed obses vices pignoris, non fidejussoris subit; ergo æque detineri potest. Obsidem detentum indemnem servet Civitas, si probari possit, ei per hanc detentionem damnum illatum fuisse; quia loco totius Civitatis passus est.

§. 186.

Gvarantia sensu latiori est pactum, quo securitas promittitur, sensu vero proprio *Gvarantia* est fœdus accessorium, quo uni, vel utrique genti, fœdere quodam junctæ, alter populus promittit, se omnia media adhibiturum, ut fœdus illud servetur; qui hoc modo se in conventionem interponit, *gvarandus* vocatur. Cum arma possint esse media ad promissionem gvarandi adimplendam, patet, gvarantiæ tacitum inesse fœdus de auxilio bellico ferendo. Ex natura hujus fœderis intelligitur, non deberi auxilium, nisi imploretur ab indigente, nec in alia causa, quam de qua conventum est, nec contra alias personas; quia ex pacto nemo magis obligatur, quam se obligatum velle declaraverat. Hinc, si fœdus

principale per novationem aliud objectum accepisset, & gvarandus in novationem non consensisset, liberabitur ab omni obligatione. Atque ideo gvarantia non intelligitur, nisi salvo jure tertii, resque inter alios actas aliis non præjudicare.

§. 187.

Gvarantia differt 1-o a fœdere *defensivo*, quo promittuntur auxilia bellica ad jura gentis conservanda; proinde est fœdus principale, per se iniri, & intelligi potest, gvarantia vero est fœdus accessorium, absque alio principali fœdere non intelligibile. Fœdera defensiva rationis assensu non probantur tantum, sed etiam præcipiuntur, secus enim jura gentium sarta, tectaque conservari, jurisque lex inter gentes in effectum deduci non possent. At fœdera *offensiva* a duabus gentibus ad bellum, sine justa causa tertiæ genti inferendum, inita, juri gentium adversantur (§. 106.) 2-o a *fidejussione*, qua gens se præstituram, quod altera debet, pollicetur, si hæc non præstiterit, quod gvarandus nunquam promittit; convenit tamen gvarantia cum fidejussione in eo, quod utrumque fœdus sit accessorium. Commune vero id est omnibus hisce conventis, quod & eo inconsulto, de cujus fide metuitur, celebrari possint; quia finis eorumdem est remotio futuræ læsionis, ad quod jus connatum habemus (§. 49.), neque propterea læditur jus connatum bonæ existimationis; quia vi hujus id solum exigi potest, ut nemo sine sufficiente ratione pro effectivo lædente habeatur, non vero, ut quilibet præsumatur, non posse fieri lædens.

§. 188.

Fœdera, cum sint pacta, generatim cessare iisdem modis, quibus pacta, abunde liquet (§. 124 — 127.). Speciatim vero desinunt fœdera personalia, interitu personæ, realia, populo penitus exstincto. Perperam vero a mutatione Rectoris Civitatis, formæ regiminis, vel diverso imperii modo introducto ad dissolutionem fœderis duceretur conclusio, nisi voluntas paciscentium ad certum reipublicæ statum adligata fuisse doceatur. Ut vero *remissione* fœdus cesset, ipsa gens fœderata juri suo renunciare debet, non pro eadem tertius. Quia tertius de juribus nostris disponere potest, si gaudeat jure imperii; a quo cum gentes sint liberæ, tertius remittere obligationem, ex fœdere promanantem, non potest. Id ipsum censendum est, si fœdus jurejurando sit firmatum, & Romanus Pontifex ab obligatione juramenti dispenset; nam hæc obligatio est tantum accessoria, qua cessante principalis obligatio eominus cessare potest, quominus ecclesiæ caput de civilibus negotiis præsertim adversus gentem, suæ ecclesiæ non subjectam, disponere potest.

§. 189.

Lis est, an fœdus, quo auxilia bellica adversus hostes promissa sunt, cesset, si imperans ejus gentis, cui promissio facta est, per rebelles expellatur, vel an Regi expulso, vel subditis rebellibus auxilia præstanda sint? Regi a tota natione expulso deberi auxilia, quæ ipse sibi, vel ejus antecessores in hunc eventum fuerant stipulati, non autem ea, quæ tantum contra externos hostes fœderati promi-

serant, extra dubitationem est; ast si neutrum horum fuerit dictum, tunc gens fœderata neutri obligatur auxilia suppeditare; non *regi;* qui enim cum rege indeterminate fœdus belli init, concludit illud cum populo, cum omne fœdus in dubio sit reale præsumendum (§. 178.); proinde consensit, ut vires suas cum viribus illius conjungeret, non vero, ut contra eosdem omnes, aut majorem partem dimicaret, & ideo jure exceptionem ex non existente casu fœderis formare potest (§. 181.): non *subditis rebellibus;* quia subditorum causa præsumitur esse injusta, repugnat enim obedientiæ eorumdem, nisi evictum sit, regem fuisse Tyrannum, non licet autem injustos fines persequentium molimina juvare. (§. 47.). At, si vult gens fœderata, expulso Rectori Civitatis potest auxilia suppeditare, quin per id rebellibus injuria inferatur; quia gentes habent jus connatum aliarum gentium, & earum repræsentantium justos fines tuendi, & promovendi.

§. 190.

Distant a fœderibus *sponsiones publicæ*, seu pacta, quæ quis ultra fines concessæ sibi potestatis de negotiis Civitatis cum gente alia celebravit. Ideo, si imperans conventionem faceret legibus fundamentalibus adversam, quoniam conclusa hac transgressus esset jus regiminis, naturam sponsionis indueret. Populum tales sponsiones, nisi expressa, vel tacita ejus accesserit ratihabitio, non obligant; quia nemo alterum invitum pactis obligare potest; proinde non solum ad id non teneri, quod per sponsionem promissum est, sed neque ad rem reponendam in eum sta-

tum, in quo erat ante sponsionem, manifestum est. Attamen lucrum, quod spe ratihabitionis ex re alterius perceptum est, restitui justitia naturalis, quæ suum cuique tribuit, exigit. At, si officialis publicus vi muneris, sibi incumbentis, pactum cum gente alia conclusit, quod erat necessarium medium ad obtinendum finem sui muneris, tunc non est sponsio, sed conventio publica. (§. 120.).

§. 191.

Quamvis sponsiones respectu gentis nullum effectum producant; respectu tamen sponsorum fundant obligationes, quæ ex expresso, vel tacito pacti contextu dijudicari debent (§. 114.). Qui enim tantummodo factum incertum, & ab aliena voluntate pendens promiserunt, & acceptanti idem notum fuit, omni adhibita industria, ne improbetur sponsio, fidem suam videntur liberasse. At, si rem ratam habitum iri diserte pollicentur, ac forte præseferunt facultatem contrahendi publico nomine, ii omne damnum culpa, dolove datum, vel proprio aere, vel si hoc non sufficiat, etiam libertate luere cogendi sint, nisi prævie certa *pœna conventionalis* statuta fuisset, quæ est omne malum, cui se promittens pacto obnoxium reddit, casu quo promissa præstare neglexerit.

CAPUT XII.

De Legatis.

§. 192.

Cum sine multis difficultatibus fieri nequeat, ut gentes immediate fœdera invicem ineant, per literas enim conficere negotia

res est plena ambagibus, conventus vero, in quibus omnia gentis membra immediate voluntatem declarare, & assensu suo probare deberent, vix, ac nevix quidem adparari possunt; ideo negotium fœderum ineundorum legatis, potestate ad publica pacta concludenda instructis, committitur.

§. 193.

Legati sunt personæ, quibus tamquam subditis gentes sua negotia, cum aliis gentibus coram, & solemniter gerenda, committunt. Legati quatenus ut subditi negotia publica Civitatis suæ administranda habent, sunt ministri publici, quatenus vero negotia, a gente sua sibi commissa, coram alia gerunt, sunt mandatarii, procuratores. Jura igitur, & obligationes illorum ex officio procuratoris, & ministri publici dignoscenda sunt.

§. 194.

Ex supradata definitione legatorum recte concluditur: 1-o legatorum nomine haud censeri, qui subditi nullo modo sunt ejus gentis, pro qua se interponunt, sed sunt *mediatores*, *internuncii*, nec qui subditi quidem sunt, & negotia gentis externa tractant, verum in territorio suæ gentis, sed sunt *ministri status externi*, nec qui extra territorium res agunt suæ gentis, sed sine solemni mandato; 2-o missionem legatorum non semper esse necessariam, siquidem nonnunquam ii eliguntur, qui degunt in territorio gentis, quacum tractare jubentur; 3-o fæminas non esse incapaces negotiorum publicorum coram alia gente solemniter tractandorum; ideo non est contra-

dictorium, insolitum tamen, ut legationis munus obeant, 4-o a legatis veri nominis differre *agentes*, *deputatos*, *commissarios;* illi enim negotia imperii, vel civium privata intra, vel extra Civitatem procurant, isti vero a subditis ad imperantem, & hi ab imperante ad subditos mittuntur.

§. 195.

Cuivis legato jure competit *character legati*, quem vocant *repræsentatitium*, qui est facultas exigendi, ut non tamquam privata, sed tamquam publica persona (vicarius totius gentis) tractetur. Quia legatus in rebus, suæ curæ demandatis, personam gentis, cujus jure, & nomine negotia administrat, repræsentat. Ergo illius personam sustinet. (§. 143.). Hic character alter est *generalis*, qui nimirum a ratione solius negotii repetitur, & est communis omnibus legatis; cum vi hujus tantum gentem suam repræsentent, gentes vero in essentia a se invicem non differunt: alter *specialis* & arbitrarius, qui a ratione dignitatis mittentis, missi, & mittendi modo derivatur, ac ideo etiam est diversus, & variis externis honorum significationibus insignis. Hinc cum charactere speciali pro legatis illi potissimum sunt mittendi, qui dignitate eminent inter suos, ne secus naturali utriusque gentis æqualitati detrahi aliquid videatur.

§. 196.

Jus legationum est facultas legatos mittendi, & acceptandi. Cum legati negotia gentium tractanda habeant, patet jus legationum gentibus, earumque repræsentantibus, nempe

imperantibus, competere. Quando vero in bellis Civilibus duo inter se decertant regni æmuli, tum jus legationis possessori imperii est proprium, quia ob jus connatum bonæ existimationis præsumitur esse legitimus imperans, proinde repræsentans gentis; si e contra populus in duas partes sit divisus, quoniam duæ pro tempore fiunt Civitates, ab utraque factione separatim exercetur jus legationis.

§. 197.

Ne autem cuique personam legati per fraudem induere liceat, oportet legatos *literis credentionalibus* muniri, quæ sunt publicæ fidei testimonium, unde gens, ad quam venit legatus, cognoscere possit, quis, a quo, in quam rem, quonam denique charactere, & potestate legatus mittatur. Ab his secernendum est *mandatum* (instructio), cujus finis est legatos idoneis consiliis, & legibus ad negotia gerenda instruere, estque vel *publicum* (manifestum), vel *arcanum*, prout idem cum alia gente communicare licet, vel non. Hinc si legatus fines mandati, in literis credentionalibus expressos, egrediatur, Civitatem mittentem non obligat; quia nemo magis alterius facto, vel contractu obligatur, nisi quatenus se obligari velle ipse declaraverit. Aliud foret, si negotium conclusum arcanæ tantum instructioni repugnaret; cum gens, ad quam missus est legatus, jure de negotio, in publica instructione expresso, tractare potuerit, & ex eo, quia arcana instructio contraria fuit, quam altera gens scire non potuit, conclusio impugnari non possit.

§. 198.

Legati alii sunt *primi ordinis*, alii *secundi ordinis*, prout cum charactere speciali, vel tantum cum generali mittuntur. Porro ambo vel *ordinarii* sunt *adsidui*, seu perpetui, si animo residendi apud gentem veniant, & rebus variis obvenientibus adhibeantur, vel *extraordinarii*, temporales, si unius potissimum negotii gestio, veluti celebratio nuptiarum, gratulatio, illis sit commissa. Denique vel cum plena mittuntur potestate *plenipotentiarii*, vel sine illa *formularii* dicti; his tractare tantum, illis etiam concludere sub conditione, si ratum habeatur, licet.

§. 199.

Admittere legatos ad territorium aliquando est officium justitiæ, aliquando æquitatis, aliquando nullum, prout missio, & receptio legati est medium ad jus aliquod effectuandum e. g. ad res, vel subditos, per aliam gentem detentos, rehabendos, vel tantum ad officia æquitatis adimplenda e. g. ad fœdus commercii ineundum, vel ad nullum horum. Quia qualis obligatio ad finem, talis ad media. Hinc neutrum officium violaret gens, quæ legatos cum charactere speciali, & rei gerendæ non necessario, vel ab hostibus missos dicis causa, vel sibi minus gratos, eoque indignos munere, vel in rempublicam periculosos, vel denique honestis conditionibus subscribere nolentes, aditu prohiberet. Ex iisdem causis, si tardius emergant, gens habet jus legatum, jam receptum, territorio amovendi, non secus re jam peracta dimittendi. Denique quoniam continua non sunt negotia cum genti-

bus tractanda, nulla adest obligatio legatos adsiduos recipiendi; proinde introductio legatorum perpetuorum moribus & decoro gentium arbitrario unice debetur. Ex eo vero, quod liberum sit legatum mittere, ita non sequitur etiam liberum esse eundem recipere, sicut quia creditori jus est debitum non exigendi, non sequitur, debitori liberum esse debitum non solvere. Quare in dubio legati saltem in finibus territorii non jure gentium positivo, sed jure gentium naturali erunt audiendi.

§. 200.

Commeatus est facultas legato data, ut ad locum certum ire, & inde redire tuto possit. Hinc eadem obligatio gentes in concedendo commeatu obstringit, quæ in admissione legatorum, datio enim commeatus est medium necessarium ad legationem perficiendam. At tertia gens, per cujus territorium transire vult legatus, præscindendo a speciali pacto ad commeatum dandum nunquam juridice, sed ad summum ethice obligatur. Quia tertius etiam propter ipsam persecutionem juris alieni originaliter non obligatur, concedere usum sui dominii etiamsi innoxium. (§.174.)

§. 201.

Si legatus obtineat commeatum, plenam habet facultatem territorium ingrediendi, & egrediendi (§. 199.). Si vero simul literas ejus credentionales acceptet gens, jus quoddam firmius personam agendi publicam, suamque Civitatem repræsentandi obtinet; at tunc legatus non modo desideria suæ gentis exponere, ejus nomine promittere, & acceptare, intra limites mandati publica pangere

conventa, sed etiam omnia ea facere posse credendus est, sine quibus delato sibi muneri commode præesse non liceret. Quia gens acceptando legatum instar pacti taciti declarat, se permittere velle, ut legatus nomine suæ gentis negotia publica tractet. At si legatus sine commeatu alterius ingreditur territorium, jure utitur solummodo privati peregrini, quia solum ut talis noscitur, neque sufficit literas credentionales producere, cum hæ tantum gentem, adquam mittitur, respiciant, & iis tertia gens fidem habere non teneatur. Quare legatum, qui sine commeatu ab hoste ad nos venit, vel ad hostem mittitur, & per nostrum territorium transire vult, comprehendi posse, minime dubitandum est.

§. 202.

Legatus apud gentem, quæ literas ejus credentionales acceptavit, & eidem commeatum dedit, gaudet 1-o *Sanctitate*, seu eminenti inviolabilitate. Nam generatim adversus quamvis læsionem jus cogendi, i. e. jus malis physicis lædentem afficiendi jure exercetur (§§. 12 & 14.); atqui læsio legati est maxima, cum per eandem non solum homo, sed etiam subditus alterius Civitatis, & mandatarius, ac repræsentans totius gentis, ejusque imperantis lædatur; igitur jus cogendi in maximo gradu adversus gentem, legatum lædentem, competit, quod significat legatum esse eminenter inviolabilem, seu sanctum. Porro talis violatio habet summe nocivum influxum in securitatem Civitatis externam; cum evertat jus legationum, quod est medium necessarium, & inter noncoactiva media aptissimum ad securitatem externam consequen-

dam. Ad talem enim gentem, quæ, legatos esse inviolabiles, non credit, nemo legatos mittet, nec ab ea missos acceptabit. Ex quo illud jam manifesto colligitur, sanctitatem legatorum non modo gentium moribus, & jure positivo, sed etiam jure gentium naturali esse munitam. Et cum hostis legati ab amicæ gentis legatis essentialiter non differant, patet etiam hostium legatis, si semel sunt admissi, sanctitatem denegari non posse. Semper autem 1-o major est obligatio admittentis legatum, ne eum violet, quam illorum, per quorum terras transit; cum respectu illius duplex jus, nempe jus tractandi de negotiis publicis, & jus plena cum securitate ingrediendi, & egrediendi territorium; respectu hujus vero solum posterius jus legatus habeat. 2-o Gentium, quæ literas dederunt commeatus, & quæ legatum norunt, non esse hostis, quam si legatum esse ignorarent. Atque hoc sensu character legati ubique videtur obtinere. Hæc sanctitas, legatis competens, violatur non solum dictis factisve, læsionem inferentibus, verum etiam solo neglectu, si nimirum cum honore, aliis legatis exhiberi solito, non recipiantur. Gens enim aliam, cujus imaginem repræsentat legatus, ut sibi æqualem spectare tenetur.

§. 203.

II-o *Extraterritorialitate*, seu immunitate ab imperio ejus gentis, apud quam degit. Quia primo legati proprii imperantis sunt ministri, ab hujus nutu pendent, eique omnium actionum suarum rationem reddere tenentur. Dein gentem nullius arbitrio subjectam, & cuique alteri æqualem durante legatione re-

præ-

præsentant. Denique non ut peregrini privati, sed ut personæ publicæ, quæ cum extraneis in statu naturali vivunt, alienum ingrediuntur territorium. Ultimo ipsa natura legationis exigit hanc independentiam; cum sit medium necessarium ad legationem perfecte obeundam (§. 120.). Sunt, qui immunitatem hanc legatorum solum ad negotia legationis restringunt, ceteros vero privatos eorumdem actus jurisdictioni loci subjiciunt tam civili, quam criminali; cum legatio propterea perfici possit. Interim advertendum est, hanc independentiam quoad privatos etiam actus legatorum dupliciter in quæstionem sumi posse: nempe ut *essentialem* proprietatem, quæ absque contradictione abesse a legato cogitari non potest, vel ut *naturalem*, quæ eidem attribui debet, si arbitrio gentium nulla facta sit exceptio. Supposito hoc negari quidem non potest, independentiam solum in negotiis publicis esse essentiale, in privatis vero tantum naturale attributum legati; attamen cum legatus imaginem sui imperantis referat, cui in territorium alienum ingredienti omnimoda indepedentia conceditur, patet, eandem etiam ejus repræsentanti, proinde non solum in actibus publicis, sed etiam in privatis esse attribuendam, donec contrarium sufficienter probatum fuerit. Quare 1-o si tantum ita admittatur legatus, ut vel criminali, vel civili, vel etiam utrique foro territorii, ad quod accedit, subjiciatur, atque in id consentiat gens mittens, nemini est obscurum, naturalem illam immunitatem restringi, aut omnino cessare posse, 2-o si gens pro legato adsumat subditum loci, in quo legationem obit, quum propterea ipsius prior conditio non cesset, evidens est, eum quoad privatos actus

subesse jurisdictioni gentis suæ, aut 3-o si missus legatus consensu suæ gentis munus quoddam in eo territorio, in quo est legatus, susceperit, quia eatenus est subditus.

§. 204.

Ne tamen modo adserta independentia in perniciem Civitatis, in qua degunt, abutantur legati, & sub hac, tamquam umbra, impunes delitescant, cuilibet genti, legatum recipienti, competit jus ad omnia media, quæ sola ratione apta, & necessaria cognoscuntur ad jura sua adversus apud se in statu independentiæ viventem, subjectum tamen jurisdictioni propriæ Civitatis, efficacia reddendi. Ad determinandum quænam sint media licita jus suum persequendi adversus legatum, necessarium est distingvere *præteritam* a *præsente*, vel *futura* læsione. Si læsio ad civilem jurisdictionem pertinens jam esset illata, e. g. per non impletionem validi pacti, læsus legatum coram proprio imperante conveniat, qui, si justitiam administrare recusaret, se complicem facti redderet, contra quem quomodo procedendum sit inferius docebimus. Idem modus procedendi locum habet, læsione etiam ad criminalem jurisdictionem pertinente, si pure indemnitas, læso præstanda, respiciatur; si vero pœna, cui subjiciendus esset legatus, tunc Rector Civitatis, in cujus territorio delictum sive publicum, sive privatum accidit, habet jus urgendi legati revocationem, quæ si emaneret, vel periculum esset in mora, ipsamet legatum remittendi, & pœnam juxta leges gentis, legatum mittentis, exigendi. Atque in hoc consistit distinctio inter legatum, & imperantem respectu læsionis, in ali-

eno territorio patratæ, quod imperantem in læsione deprehensum, quum careat superiore, cui reddat rationem suarum actionum, meritasque persolvat pœnas, remittere haud sit necesse, sed statim ad præstandam debitam satisfactionem jure compelli possit.

§. 205.

Si læsio a legato immineat (futura), & justis ex causis metuatur, tum periculi avertendi gratia gens habet jus legatum in publicam custodiam redigendi, & interrogationibus subjiciendi; cessante autem periculo revocationem ejusdem urgendi, vel illico dimittendi, & animadversionem ob attentatum delictum postulandi. Si denique læsio sit præsens, & leniora media non sufficiant, etiam morte legati non per modum judicii, sed per modum necessariæ defensionis cohiberi potest.

§. 206.

Sanctitas, & extraterritorialitas legatorum se ad omnia objecta extendit, quæ vi juris personalis, vel realis ad ipsum pertinent. Juxta jus personale partim publicum, partim privatum ad legatum referuntur, *legationis comites*, uti sunt secretarii, cancellistæ &c., tum *uxor*, *liberi*, *famuli &c.* Juxta jus reale habet *acta legationis*, *ædes*, *quas inhabitat*, *suppellectilem*, *currus* &c. Hæc omnia communi veniunt legationis nomine, & tamdiu gaudent sanctitate, & exterritorialitate, donec legato vel personas accessorias missas facere, vel res alienare visum fuerit. Hinc, si personæ legati, domestico imperio subjectæ, delinquant, a legato petenda est justitiæ administratio,

qui tales coërcere, non tamen pœna capitali adficere potest, sed vel vinctos mittere in patriam, vel judici loci extradare, ut ferat ipse sententiam, aut latam executioni mandet; si vero personæ, immediate ad legationem pertinentes, læsiones patrent, quum officiales sint mittentis, idem modus est observandus in persecutione juris, quem supra (§§. 204 & 205.) innuimus.

§. 207.

Vi independentiæ a jurisdictione gentis legatis non competit, 1-o libertas a solutione vectigalium, h. e. onera præstare debent, rebus publicis adnexa, si iis utantur, quia nemo tenetur alteri gratis usum rei suæ concedere, non tamen obligantur ad personalia tributa præstanda, quia hæc in obligatione active concurrendi ad consequendum finem Civitatis fundantur, quæ legatis non incumbit; 2-o libertas merces vetitas, vel periculosas introducendi, quia non licet alteri damnum inferre, 3-o immunitas circa bona immobilia in territorio gentis, apud quam est, jacentia, quia hæc bona sunt pars territorii Civitatis, ergo sicut totum territorium, ita pars ejus est subjecta imperio gentis. Hinc, quamvis legatus proprias ædes inhabitans tutum in iis habeat præsidium, tributa tamen eum pendere non minus oportet, quam si alibi haberet domicilium. Potest etiam legatus in suis ædibus religionem suam exercere, sed perfugium dare, & asylum delinquentibus idem foret, ac se alieno regimini immiscere, quod non licet. Quare, si leniora non sufficiant, delinquentes, ad domum legati confugientes, salva sanctitate legatorum inde extrahere licet.

At 4-o bona legati mobilia sunt immunia a jurisdictione gentis recipientis legatum (§. 203 & 206.); ideo ea pignoris causa fors ob solutionem debiti capi non possunt. Quod si æs alienum solvere detrectat, media supra allata (§. 204.) adhibenda sunt.

§. 208.

Legatio finitur: 1-o Si negotium fuerit impletum, tempus evolutum, ad quod missus est legatus, quia cessante ratione debet cessare rationatum. 2-o Si avocetur legatus a suo imperante, vel ab eo, ad quem missus est, dimittatur, quia mandatarius cum consensu mandantis, & ejus, quocum agendum habet, de negotiis tractare potest. 3-o Si legatus moriatur, quia non entis nullæ sunt qualitates, ædes autem etiam mortuo legato servant immunitatem, donec scripturæ, & reliqua, legationem respicientia, sint in tuto. 4-o Si Rector alterutrius Civitatis moriatur. Etsi enim interea aut populus, aut successor in locum defuncti veniant, tamen legatio novis literis credentionalibus muniri, & instaurari debet. At 5-o non cessat legatio, si legatus muneri suo renunciaverit, quia respectu suæ Civitatis in actionibus fini Civitatis non indifferentibus est dependens a sua Civitate, ejusque repræsentante, neque 6-o propterea legatorum jura cessant, quia bellum inter ambas gentes citius ortum est, quam legati discesserint: quia securus reditus est naturalis conditio missionis, & admissionis legati, quæ sicut expressa impleri debet.

LIBER II.

PARS I.

De mediis, quibus seu personæ physicæ, seu morales (familiæ) extrasocialiter viventes jus suum persequi possunt.

§. 209.

Absoluta stricte theoretica parte Juris Naturalis Extrasocialis transimus ad partem practicam ejusdem, seu ad doctrinam de mediis *præcipue* coactivis, quibus personæ sive physicæ, sive morales extrasocialiter viventes jura, sibi sola ratione competentia, persequi possunt; cum media noncoactiva, ut pote distincta jura efficientia, inter jura connata retulerimus. (§. 49 — 52.). Jus cogendi non est a reliquis juribus distinctum, per se subsistens jus (§. 12.), ideo neque inter connata, neque inter acquisita jura pertractandum assumi potuit; sequitur enim naturam juris, quod persequimur, et est, prout illud, jam connatum, jam acquisitum, semper tamen læsionem præsupponens jus.

§. 210.

Adest ne certa lex sola ratione cognoscibilis quoad media coactiva in persecutione juris adhibenda, vel est ne omnis executio coactionis justa? Lædere nos, & impedimenta usui jurium nostrorum ponere possunt vel res, vel personæ, proinde executio coactionis vel adversus res, vel adversus personas cogitari potest; jam respectu rerum, quatenus sunt nullius, cum nulla jura habeant, non indigemus principio, ex quo appareat justitia coactionis, adversus easdem directæ. Sed aliud est, si coactio adversus rem, cum aliqua persona connexam, vel si immediate adversus personam dirigatur. Hic primo obtutu videtur, omne exercitium coactionis esse injustum. Nam coactio, qua aliæ personæ in sua externa conformatione determinarentur, videtur legi fundamentali juris adversari; cum per eandem libera externa activitas alterius restringatur, & usus alterius, tamquam medii, ad nostros fines, vel deterioratio, aut totalis exstinctio alienorum jurium procuretur. Interim hæc difficultas disparet, si advertamus primum, sine jure turbatores nostrorum jurium cogendi, penes dominantem sensualitatem omnia jura nostra seu connata, seu acquisita annihilanda. Dein ratio practica sibi ipsi contradiceret, si ex una parte necessitatem coëxistentiæ hominum postularet, ex altera vero parte jus omnia ejus impedimenta removendi non admitteret. Denique lex juris tantum id prohibet, quod alterius libertatem cum universali conciliabilem restringeret, vel per quod alter, ut purum medium, ad alienos arbitrarios fines applicaretur, vel alterius jus, non solum juxta materiam, sed etiam juxta

formam suam in toto, aut in parte annihilaretur. At nihil horum cum qualicunque coactionis executione est necessario conjunctum, quin potius jus cogendi optime cum omnium libertate conciliari potest, & necessaria conditio est, ut juris lex inter homines ubique efficax reddatur. Coactio igitur adversus nostros cohomines, vel eorum res adhibita pro justa haberi debet, si justum principium, quod in conservatione jurium, & justus finis ejusdem, qui in possibilitate usus jurium consistit, adferri possit. Hinc ratio practica quoad media coactiva in persecutione juris adhibenda agnoscit hanc legem: *Omitte omnem coactionem adversus tuos cohomines, sine qua jura tua conservare, & usum eorumdem haberè potes.* Ex qua considerando media coactiva, quæ respectu finis *apta*, vel *inepta*, prout iisdem usus jurium obtineri potest, vel non, respectu principii coactionis *necessaria*, vel non *necessaria*, prout sine iisdem conservatio jurium impossibilis est, vel non: respectu effectus *leniora*, vel *duriora*, prout lædenti pauciora, vel plura mala procurant, esse possunt, deducta regula juris sic sonat: *Omnis justa coactio per legem juris est ad apta, & necessaria media coactiva restricta, proinde etiam ad leniora, si apta sint, & sufficiant præ durioribus, quatenus hæc inepta, vel superflua sunt.*

§ 211.

Status, in quo subjectum jurium coactione mediante jus suum persequi potest adversus lædentem, triplex cogitari potest: nempe læsio juris potest tantum imminere, vel jam incipere, vel jam finita, seu futura,

præsens, & præterita esse; ideo etiam triplex coactio distingvitur nempe *præventionis*, *defensionis*, & *præstationis* coactio.

§. 212.

Præventionis coactio est, quæ ad antevertendam imminentem læsionem adhibetur. Jus ad hanc nobis competere patet. Quia si semper læsionis initium exspectari deberet, tunc legis suprastatutæ, quæ vult, ut apta, & leniora media præ durioribus eligantur e. g. ut lædens non vulneretur, vel occidatur, dum armis privari, aut capi potest, raro, vel nunquam usus haberetur, & sæpe manutentio juris valde difficilis, vel plane impossibilis redderetur, e. g. in casu injustæ aggressionis, contra vitam directæ, post acceptum vulnus est difficilis defensio sui. Negari tamen non potest, homines præventione ad excusandas læsiones facile abuti posse; ideo necessarium est limitum ejusdem meminisse. Ad justam præventionis coactionem non sufficit pura possibilitas futuræ damnificationis, quia in statu, ubi quilibet de jurium suorum inviolabilitate sollicitus esse debet, omnia, quantumvis parva, insolito modo posita, suspicionem læsionis inferendæ excitant; si igitur hæc sola sufficeret ad coactionem, inevitabiliter orire-tur jus ad perpetuum bellum omnium erga omnes. Ideo requiritur realis comminatio læsionis h. e. talis conformatio unius, quæ juxta sua naturalia consectaria nostro juri nociva evaderet, nisi eandem præveniremus. Hinc sola minacia verba ad fundandum jus pro prima aggressione non sufficiunt, potius nos reflectunt ad usum juris securitatis, sed requiritur activa comminatio, proinde immi-

nens læsio debet esse *objective* certa, seu quæ probari potest, & neque sufficiunt subjectivæ rationes e. g. ex præjudiciis repetitæ, ut præventionis coactio jure exerceatur.

§. 213.

Defensionis coactio est, qua continuationem inchoatæ læsionis impedire conamur. Ad hanc habemus jus; quia jurium nobis competentium usum habere non possemus, nisi obstantia impedimenta a quocunque demum posita, mediis necessariis, proinde etiam coactivis removere, & vim vi repellere possemus. Dein sine jure defensionis omnis libertas tolleretur; nam per omnem actionem, juri alterius repugnantem, impossibile redditur id, quod juridice, i. e. secundum jus est possibile, ergo per ejusmodi repugnantiam, si universalis, & ei resistere illicitum foret, omnis libertas tolleretur. E contra per defensionem, i. e. actionem oppositam ei, qui juri nostro renititur, intenditur id, quod juridice possibile est; proinde defensionis coactio est usus libertatis cum universali libertate conciliabilis, ergo nobis competere, certum est. Et quidem hoc jus tamdiu licite exerceri potest, donec jurium nostrorum invasor relicta nostra juris sphæra ad suam se contulerit.

§. 214.

Præstationis coactio est, quæ ad sublationem consectariorum terminatæ læsionis dirigitur. Jus ad præstationem injusti damni medio restitutionis, vel satisfactionis nobis competere supra (§. 50 — 52.) ostensum est, & cum omne jus facultatem cogendi in se conti-

neat, de justitia hujus coactionis, quatenus intra legitimos limites (§. 210.) exercetur, nullum dubium esse potest.

§. 215.

Aliqui Juris Doctores præter hos modos coactionis assumunt etiam *jus puniendi. Pœna* generatim pro malo sensuali a præventionis, defensionis, & præstationis coactione distincto, sumitur, quod lædenti propter violationem juris infligitur: jus ad hanc inflictionem esset *jus pœnæ*, quod, quatenus juxta naturalem legem juris existeret, *naturale* vocari posset, & contrarium *positivi* juris puniendi foret, quod ex positiva lege fluit. Jus puniendi extra civilem nexum citius negari, quam affirmari potest; quia rationes, quæ pro eodem adferuntur, partim sunt insufficientes, partim ejus qualitatis, ut cum fine disceptatio verbalis, non realis appareat.

§. 216.

Omnes deductiones juris puniendi dividuntur *in absolutas, & relativas*, prout ex lege fundamentali juris sine respectu ad finem per executionem juris puniendi obtinendum, vel cum respectu ad talem finem deducuntur. Sectatores *absolutæ* deductionis pœnam definiunt, esse malum sensuale, quod propter læsionem juris tamquam immoralem actionem lædenti solum ideo infligitur, quia legi morali (morali mundi ordini) conforme est, ut illud patiatur, & ideo venit nomine *moralis pœnæ*. Hi asserunt, rationem practicam in distribuendo sensuali bono, & malo hunc nonnisi ordinem ratihabere posse, vi cujus illud

tantum moraliter bono, hoc tantum moraliter malo, & quidem in accuratissima proportione ad ejus morale meritum, vel demeritum obtingit. Supposito hoc pro jure puniendi in statu naturali adferunt: ad id, quod morali mundi ordini conforme est, debet jam abstrahendo a Civitate jus dari, sed moralis pœna est conformis illi ordini, ergo jus puniendi jam in statu naturali affirmari debet. Interim quoad hoc argumentum advertimus: utramque propositionem juxta hactenus dicta jam veram, jam falsam esse posse, prout sub morali mundi ordine juridicus, vel ethicus intelligitur (§§. 16 & 17.) & illud suppositum subversari, hominem capacitatem habere, sui cohominis moralitatem, & immoralitatem accurate æstimandi.

At dicunt pœnam etiam juridico morali mundi ordini convenire; cum per pœnam omnis injusta actio suam reactionem reperiat, quæ est necessaria ideo, ut læsiones juris penitus intermittantur, & lex juris suam plenam vim manifestet. Interim ex hac consideratione fluit solum pœnam a naturali lege juris absolute non rejici, non vero jam in statu naturali jus puniendi dari. Quia in statu naturali desunt essentiales conditiones: nempe sufficienter efficax comminatio, a partium studio aliena recognitio, & secura inflictio, sine quibus jus puniendi absque effectu & fine exercebitur, & malum sensuale lædenti inflictum non pœnam, sed vindictam sapiet. Paterfamilias in statu naturali potest pœnam suis domesticis comminari, quia per id solum nullius libertatem restringit, sed potest ne ea, a quibus efficacitas comminationis dependet, exequi: nempe judicium servare, sententiam

suam sine contradictione, & renitentia in effectum deducere?

Neque juvat se provocare ad id: in naturali lege juris jam pro qualibet læsione juxta qualitatem, & quantitatem pœnam determinatam cum necessitate inflictionis promulgatam esse, nempe talionis pœnam. Quia est valde difficile ex negativa lege juris sine auxilio pactitiæ conjunctionis præceptum tale deducere. Si vero objiciatur: penes læsiones juris, tamquam transgressiones officiorum moralium, lædentis moralem indignitatem nulli dubio subjacere posse, & illi, qui lædendo alios, se ad classem rerum collocavit, per qualemcunque pœnam injuriam inferri non posse; tunc iterum advertimus, ex agnita objectiva injustitia actionis non sequi etiam subjectivam agentis injustitiam, sine qua immoralitas cogitari nequit, neque lædentis ad classem rerum collocationem cogitari posse; cum jus personalitatis sit necessarium, & immutabile.

§. 217.

Sectatores *relativæ* deductionis juris puniendi conveniunt generatim in eo, quod jus puniendi ex jure futuras læsiones præveniendi deducant, quare etiam defensores *præventionis pœnæ* appellantur. At differunt in fine prout nimirum *emendationem*, & quidem *legalem*, *externam*, aut etiam *moralem*, *internam* lædentis, vel *exemplum*, aliis penes se existentibus statuendum, aut *utrumque simul* pro fine pœnæ assumunt. *Primi* per pœnam intelligunt malum sensuale, quod lædenti ideo infligitur, ut a futuris læsionibus abstineat (*individualis præventionis pœna*) & argumentantur sic: si in statu naturali pro-

pter læsionem præter præventionis, defensionis, & præstationis coactionem nullum aliud jus cogendi adversus lædentem daretur, ad ipsum a futuris læsionibus continendum, deessent nobis necessaria, & apta media ad defendenda jura nostra; quia male moratis læsiones, ut fortunæ lusus, apparerent, penes quos lucrari, sed nunquam perdere possent. Debet igitur jus cuilibet læso competere ad plura adhuc mala lædenti infligenda, quam necessarium est ad primam læsionem antevertendam, ad se adversus eam defendendum, vel ad præstationem pro eadem obtinendam, ut sic lædens psychologice, vel mechanice a futuris læsionibus contineatur. At contra veritatem hujus deductionis duplex difficultas oritur: 1-o justa præventionis coactio exigit inter reliqua objective certam comminationem futuræ læsionis (§. 212.), quæ in commissa læsione non reperitur; quia non est certum an is, qui modo læsit, mox iterum læsionem sit illaturus, sed 2-o etiamsi concedamus commissam læsionem esse objective certam comminationem futuræ læsionis; tamen illud jus, vi cujus tot mala lædenti infligere possemus, quot ad remotionem comminationis certæ apta, & necessaria essent, tantum arbitrarie jus puniendi vocaretur, & re ipsa jus præventionis vocandum esset: Quia pœna juxta genuinum usum loquendi, sicut præmium, necessario præteritam actionem, tamquam perfecte sufficientem rationem sui, respicit, hic autem pœna principaliter non propter læsionem præteritam, sed propterea infligeretur; cum læsio præterita objective certam comminationem futurarum læsionum in se contineat. Ergo hoc jus nullatenus est distinctum a jure præventionis.

§. 218.

Alii defensores præventionis pœnæ concipiunt, pœnam esse malum coactivum per se subsistens, quod proprie lædenti ideo infligitur, ut in futurum per emendationem internam (remotionem internorum impedimentorum, propter quæ lex moralis efficaciam non habuit) a læsionibus contineatur. Hæc pœna potest *castigationis* pœna appellari. Hac ratione deducto juri puniendi præter supradictas difficultates (§§. 216 217.) in specie obstat, quod sub taliter intellecto jure puniendi supponatur jus per mala coactiva in suis cohominibus moralitatem promovendi, quod in regula cum jure connato independentiæ conciliari nequit (§§. 46. & 47.), & tantum per exceptionem adversus tales affirmari potest, qui jure alicujus imperio subjecti sunt, cujus finis ad promovendam suorum subditorum moralitatem extenditur e. g. adversus proles in patria, pupillos in tutelari potestate existentes.

§. 219.

Ultimi dicunt, pœnam esse per se subsistens malum sensuale, quod lædenti tantum ideo mediante coactione infligitur, ut alii a læsionibus deterreantur; ideo *exemplaris pœna* vocari potest. Hi supponunt, inclinationem ad æquales læsiones, ab aliquo commissas, apud reliquos præsto esse, & hinc deducunt jus infligendi solum ideo plura mala lædenti, quam quantitas, & qualitas læsionis postulat, ut hæc inclinatio, irritatio supprimatur, exstingvatur. At concessa etiam tali inclinatione non sequitur jus lædentem propterea malo, cui se per factum proprium obno-

noxium non reddidit, subjiciendi, secus enim persona contra voluntatem suam, tamquam medium, ad aliorum fines applicaretur. Dein non est universaliter verum, post omnem læsionem oriri irritationem ad similem læsionem, & an orta sit, in statu naturali desuper investigatio, ut sine partium studio fiat, cui committenda? ex omnibus hactenus dictis fluit, rationes, pro existentia juris puniendi in statu naturali allatas, vel insufficientes, vel disceptationem tantum verbalem, non realem esse.

§. 220.

Ad directe decidendam hanc quæstionem: *an jus puniendi in statu naturæ detur?* notio pœnæ est necessaria. *Hæc* juxta communem, & juridicum præcipue usum loquendi denotat malum sensuale, quod superior in lege adversus injustas actiones comminatur, & propter commissas infligit ad omnes subditos a talibus actionibus, quatenus ad has per sensualitatem alliciuntur, continendos. Hæc notio pœnæ convenit quidem cum aliis speciebus coactionis in eo, quod lædentem tangat, & in inflictione mali sensualis consistat, ac ad conservationem, defensionemque jurium tendat. Sed essentialiter ab iis distingvitur in eo, quod per eam intendatur, ut omnes possibiles lædentes, qui repræsentatione boni sensualis, ex læsione orituri, ad lædendum se exstimulatos sentiunt, repræsentatione illius mali sensualis, quod superior in lege ob violationes jurium minatur, ad læsiones intermittendas se determinent, quod fiet, si illud malum sensuale a majore potestate (Imperante), tamquam necessarium consectarium læsionis, in lege promulgatum, & eveniente transgres-

sione legis recte propterea, ut lex, comminationem in se continens, efficax sit, inflictum fuerit. Jam Leibnitz hujus meminit ita; *Ubi sapiens legislator minatus est, ad constantiam ejus pertinet, actionem non relinquere impunitam, etiamsi pœna nemini corrigendo foret utilis.* Hinc sensu proprio jus puniendi dependet a præsentia supremæ potestatis, facultate legislationis, decisionis, & executionis provisæ, qualis potestas in statu naturali extracivili deest; proinde etiam, jus puniendi hominibus in eodem competere, affirmari non potest. Ideo uberior pertractatio juris puniendi cum eo pertinentibus doctrinis ad Jus Sociale Naturale Civile (Jus Publicum Naturale) relegari debet.

§. 221.

Præmissis his quæritur: *quando in persequendo jure coactione licet uti?* Juxta supra statutam legem (§. 210) tunc solum licet uti medio coactivo, quando nullum adest noncoactivum medium, quod ad conservandum, tuendumque jus sufficeret; quia coactio, quamcunque parva sit, semper est durius medium, quam dispositiones noncoactivæ. Ideo omnis læsus advertere debet, an lædens ejus jus noverit, vel non. Si jure assumi non possit, læsi jus fuisse notum lædenti, nulla coactio habet locum, sed adversario debet *proba*, seu sufficiens ratio prætensionis adferri. Quia proba, ut pote non coactivum medium, est lenius, quam qualiscunque parva coactio, & donec non tentetur, non potest pro insufficiente declarari ad persequendum jus, præsertim; cum ob jus connatum bonæ existimationis nemo pro lædente ex proposito præ-

sumi possit. Qui non præmisso hoc medio illico coactione uteretur, alteri jus ad resistendum tribueret; quæ resistentia semper per jus connatum bonæ existimationis, & independentiæ excusari posset. Huc pertinet imprimis casus repetitionis dominii nostri a bonæ fidei possessore; proinde talis repetitio sine præviis probis fieri nequit. Possibiles *modi probandi*, h. e. media, quibus alicui certitudinem de existentia juris nostri procuramus, sunt: propria observatio adversarii, vel aliorum experientia. Ad illam pertinet *inspectio ocularis*, ad hanc *documenta*, & *testium fassiones* *), in quibus etiam *assertorium juramentum* continetur; ideo jurisjurandi usum in ipso etiam extracivili statu non inutilem esse arbitramur; cum possit esse medium ad mendacia profliganda, & veritatem eruendam.

§. 222.

Jusjurandum est contestatio, aut asseveratio (§. 146.), qua ad testimonium, & vindictam divinam provocamus sub conditione falsiloquii moralis. *Falsiloquium morale* est discordia verborum cum mente. Finis juramenti ex parte ejus, qui jurat est, ut verbis suis conciliet majorem fidem. Qui enim Deum esse agnoscit ens omniscium, omnipotens, & justissimum, non præsumitur esse tam malus, ut fidem fallere, ac divinæ misericordiæ renunciare velit. Alter finis ex parte illius, cui

*) Modos probandi, & requisita probarum, ut numerum testium, formalitatem documentorum civilis legislatio accuratius determinare debet.

juratur, est, ut de veracitate & sinceritate jurantis certior & securior fiat. Hinc, ut juramentum hunc effectum producat, necessarium est: 1-o ut religioni jurantis accomodetur. Qui enim per falsos Deos jurat, quos veros credit, eos ut omniscios, omnipotentes, & justissimos sibi repræsentat, ergo respectu ipsius perinde est, ac si per verum Deum jusjurandum præstitisset, 2-o ut ei non deferatur, qui Deum esse negat, vel illum putat res humanas parum curare, e. g. Atheo, vel Epicureo.

§. 223.

Juramentum vel ad sponsionem de futuro firmandam, vel ad factum aliquod præsens, vel præteritum comprobandum adhibetur; hinc vel est *promissorium*, vel *assertorium.* De promissorio advertimus, nullum esse, si pactum, cujus intuitu editur, invalidum est, cum nec vinculum iniquitatis esse, nec irritam promissionem validam efficere possit, & hoc sensu verum est: *Jusjurandum sequitur naturam actus, cui adjicitur.* At, si pactum ex defectu solum acceptationis sit nullum, non sequitur, statim etiam jusjurandum non valere; quamvis enim sola Dei invocatio ex non pacto pactum haud efficiat, tamen jusjurandum ratione promissionis valere potest, & hoc sensu vera est regula: *Omne juramentum servari debet, quod servari potest sine dispendio animæ.* De assertorio notandum venit, illud esse posse vel *oblatum*, quod quis se depositurum declaravit; vel *delatum*, ad quod alterum provocavit; vel *relatum*, si provocatus obligationem jurandi in deferentem retorsit: Oblatum, nisi ab adversario adprobetur, nec deponi potest, nec de-

positum effectum ullum producit; si vero adversario deferatur juramentum, illud vel *acceptare*, vel *referre* obligatur, secus contrarium ejus, quod jurare debuisset, pro confesso habetur, quia manifestæ turpitudinis est, non jurare velle, nec juramentum referre. Sed neque deferens acceptatam ab adversario delationem revocare potest in regula, quia alter vi declarationis mutuæ jus quæsitum habet, nisi novæ probæ superveniant, aut deferens probare velit, alterum pejeraturum. Relatum denique deferens præcise præstare tenetur, nec amplius retorquere potest, secus & ipse pro confitente contrarium reputatur. Relatio tamen tunc solum obtinet, quando uterque rei notitiam habet, v. g. de inito contractu; si vero agatur de facto illi proprio, & unice noto, cui juramentum delatum est, relationi locus esse nequit.

§. 224.

Evenire potest, ut ille, qui jus suum probare deberet, aliquid, sed non sufficienter probet, & tamen juri suo cedere nolit. In tali casu, ut juste procedatur, advertendum, an adversarius bona fide objectum litis possideat, vel non: *si illud;* tunc bonæ fidei possessori res est relinquenda, quia prætendens, ut rem possit rehabere a bonæ fidei possessore, debet probare jus suum: si *hoc;* tunc jus utriusque est æquale ad objectum litis, proinde nulli proprium, sed jus dubium unius per æquale alterius restringitur; ideo etiam, sicut in condominio, neuter propria auctoritate aliquam mutationem in præjudicium alterius circa objectum litis suscipere potest, nisi semet justæ coactioni exponere velit. Imo quæ-

libet pars a proportione suarum rationum habet jus usum juris dubii urgendi, & in hunc finem media necessaria, & apta adhibendi. Huc refertur tamquam lenius medium *amica exæquatio:* h. e. permutatio juris dubii in certum. Hæc cogitari potest vel cum *interventu tertii*, vel *sine*, & quidem vel ita, ut una pars suo juri dubio gratis renunciet, quod est *exæquatio amica* sensu stricto (*compositio amicabilis*), vel erga recompensationem, quod est *transactio*. Interveniens tertius potest esse vel persona, vel certus casus (sors). Illa persona vel ut *arbiter*, si habeat jus litem per suam pronunciationem, quæ vocatur *laudum*, decidendi, vel ut *intermediator* constituitur, si habeat jus solum per consilia, svasiones, amicam exæquationem promovendi. Ut hæc jure fiant, necessarium est pactum inter litigantes, & personam, cujus interventu volunt litem componere, quia non licet alterius etiamsi dubium jus propria auctoritate diminuere, vel in periculum conjicere, & vi juris independentiæ nemo obligatur ad partes litigantes componendas operam adhibere. Hinc fluunt hæc peculiaria pacta: amica exæquatio, transactio, *) decisio per sortem, compromissum, pactum super intermediatore. Effectus horum pactorum ex principiis, in doctrina pactorum expositis, eruitur. At *duellum* est in-

---

*) Usitatissima est transactio; quia per hanc non ita, sicut per reliqua pacta, totum objectum litis vel certo perditur, vel in periculum amittendi conjicitur. Hæc habet naturam pacti onerosi; cum juri dubio tantum erga retributionem renuncietur, & pertinet ad classem contractuum aleatoriorum (§. 140.); ideo error, qui tardius super jure controverso detegitur, tamquam error in circumstantiis, non invalidat transactionem.

justum medium decidendi litem, quod est pugna inter duos, qui conveniunt certo loco, tempore, & modo se dimicare velle, ut per victoriam lis dirimatur. Quia, si læsio sit certa, duellum est medium ineptum reparandi læsionem, est enim cum proximo vitæ, & membrorum periculo tam lædentis, quam læsi copulatum; si vero læsio sit dubia, duellum ex datis supra principiis utrinque erit injustum. At, si quis animo duelli alterum invadit, quum natura quisque se tueri possit, ubi hic se defendit, duellum non est.

§. 225.

Si nostro sufficienter commonstrato, vel secus etiam evidenti juri adversa pars cedere nolit, si in aperte dubiis casibus omnem amicam exæquationem adversarius recuset, si in bonæ fidei possessione illico coactione turbemur, proinde impossibile sit medio noncoactivo nostrum jus manutenere, tunc jure coactio adhibetur *) *tanta*, *& talis*, *quanta*, *& qualis est apta*, *& necessaria ad nostrum jus juxta diversitatem circumstantiarum manutenendum*. (§. 210.). Et cum coactio non solum adversus dominium, sed etiam adversus personam lædentis directa possit esse medium aptum, & necessarium ad jus nostrum persequendum, dupliciter coactio exerceri potest, nimirum adversus *dominium*, & *personam lædentis*. Hinc respectu dominii læden-

*) Cic. Off. I. Cap. 11: *Nam cum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim: cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum: confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore.*

tis læso competit 1-o jus a lædente ad tuendā jura sua res sive ex toto, sive ex parte auferendi, 2-o eas destruendi, 3-o in pignus accipiendi, 4-o a proportione prætensionis suæ iis utendi, vel titulo compensationis eas retinendi, tamquam proprias. Ideo etiam indemnisatio pro modo acquirendi haberi non potest, quia per eam nostræ facultates non augentur, sed tantum ad statum priorem reponimur, in quo eramus ante damni illationem. Si autem coactio adversus dominium lædentis ad manutenendum jus nostrum inepta, vel impossibilis sit, tunc hæc etiam adversus personam lædentis dirigi potest. Hinc respectu personæ lædentis competit nobis 1-o jus promittentem ad promissam personalem præstationem cogendi, 2-o lædentem, vel debitorem pro securitate juris nostri captivandi, vel etiam, 3-o si secus debitum expungere nollet, vel non posset, in servitutem redigendi, & hinc 4-o creditor habet jus persequendi fugitivum debitorem, etiam 5-o a proportione prætensionis ad proportionatos labores cogendi, vel 6-o, si ipsi hi labores inutiles forent, suum jus in alium transferendi.

§. 226.

Si supra allata media leniora coactiva ad propulsandam injuriam non sufficiant, & si vita nostra, vel id, unde hæc dependet, nempe corpus, aut id, propter quod vita pretium habet, nempe personalis libertas, per lædentem in periculum conjiciatur, nobis competere jus lædentem vulnerandi, vel plane occidendi, quod vocatur *jus & moderamen inculpatæ tutelæ*, ab omnibus agnoscitur. Quia si talis defensio adversus injustum ag-

gressorem non foret justa, sed effectuatio propositæ læsionis exspectari deberet, tantumdem esset, ac non habere jus personalis subsistentiæ, proinde nullum jus (§. 43.). Nam qui personam annihilare vult, vult etiam omne illius jus annihilare juxta illud: *non existentis nulla sunt jura.* Lædens igitur, si existentiam nostram penes se pati nolit, quomodo exigere potest, ut ipsius existentiam penes nos patiamur? Ille sua injusta aggressione feræ bestiæ se similem efficit, quæ hominem aggreditur, cum ad id a suo cœco stimulo impellatur, proinde se ipsum juribus privat, cum suis viribus physicis ad alienam personalitatem, & cum hac ad ipsum jus evertendum utatur. At dubium oritur super justitia moderaminis inculpatæ tutelæ, si idem tantum ad conservationem sui externi, e. g. juris dominii adhibeatur, cum in eo violatio officii ethici, proprium minus damnum ob majus nostri cohominis consecrandi, contineatur. Interim quis non videt hoc dubium tantum in jure naturæ, absolute a lege ethica dependenter deducto, oriri posse? quod cum nos non fecerimus, patet, jus inculpatæ tutelæ etiam respectu externorum bonorum cum observantia justorum limitum coactionis (§§. 210, 225.) hominibus in statu extracivili competere. Quia in omni jure, ergo etiam in jure ad externa bona facultas cogendi continetur, (§. 12.), hæc autem coactio suos limites justos tantum in sua aptitudine, & necessitate ad defensionem juris qualiscunque reperit, sed a jure inculpatæ tutelæ debet bene distingvi jus extremæ necessitatis (§. 95.), quatenus hujus plane interna bona hominis, ut vita, valetudo, objectum sunt. Quia tale jus etiam ii negant, qui respectu bonorum externorum illud admittunt,

quomodo ergo nos illud admittamus, qui illud neque respectu bonorum externorum admisimus?

§. 227.

Cum jura connata respectu alienarum personarum (§. 47.) inefficacia forent, nisi exercitio horum jurium obstantia impedimenta mediis necessariis removeri possent; negari non potest, etiam tunc dari *jus ad præstationem auxilii*, quando non supponitur, quod tamen facile fieri potest, læsio alicui illata, esse simul comminatio respectu reliquorum, propter quam præventionis coactio justa apparet, ad quam effectuandam conjunctio cum læso apta, & necessaria esse potest. Verumtamen injustum esset, se independentibus inter se litigantibus pro judice obtrudere, & in ipsorum causa sententiam decisivam ferre, cui etiam præter convictionem propriam morem gerere obligarentur, vel assistere injustos fines persequentibus, auxilia nolentibus obtrudere, vel alios, quin consentiant, ad auxilia præstanda cogere. Atque hinc fluit jus connatum *neutralitatis*, seu jus partibus litigantibus, propter jus media coactiva adhibentibus, auxilium denegandi.

§. 228.

Aliqui putant jus coactionis *esse infinitum*, h. e. quoad qualitatem, & quantitatem arbitrio læsi relictum, proinde nullam coactionem pro *crudelitate*, *vindicta* haberi posse. Quia ajunt inter independentes judicium, qualis, & quanta coactio apta, & necessaria sit, læso committi debet, præsertim, cum tantum

illi propriæ circumstantiæ optime cognitæ sint. Interim advertere debemus, etiam lædenti, utpote independenti, æquale jus judicandi super in ipsum directa coactione competere, an nimirum ad jus persequendum media coactiva apta, & necessaria adhibita sint, vel non. Hinc, si fiat coactio non necessaria, vel inepta est *crudelitas*, *vindicta*. Sic morosum debitorem ad ipsius sensum honoris excitandum publice prostituere, ipsius res in pignus accipere, vi ad solvendum cogere est justum, sed ipsum calumniis afficere, ipsius agros devastare, propter exiguam summam domo & aula pellere, prohibet non tantum lex æquitatis, sed etiam justitiæ, quia sunt crudelitates sine fine, sic calumniatorem ad probam dictorum attrahere, & si taceat, tamquam calumniatorem publicare, ad satisfactionem, si per calumniam damnum intulit, cogere, est justum, at *retorsio injuriæ*, h. e. calumniam calumnia rependere, est injusta, quia per id non efficimus, ne ea, quæ a calumniatore dicta sunt, pro veris habeantur. Hinc fieri potest, ut in statu extracivili lædens læsum vindictæ ex objectivis rationibus arguere possit, propter quam coactio mediantibus etiam auxiliatoribus erit justa eatenus, quatenus per eam intenditur, ut adversarius justos coactionis limites non excedat. Ergo jus coactionis in ipso statu extracivili non est infinitum. At est *indefinitum* jus cogendi, h. e. lædens tantum habito respectu ad circumstantias læsi judicare potest, an læsus justos coactionis limites non excesserit; has autem circumstantias tantum læsus optime scit, proin tantum ab eo optime dijudicari potest, quid ad securitatem jurium suorum restituendam sibi necessarium, consequenter justum sit. Siquidem ratione facti

difficile est, quod vere justum est ab eo, quod tale videtur, discernere. Quidam pro mensura justæ coactionis *qualitatem*, & *quantitatem* læsionis, quidam *publicitatem* assumere tentarunt: at primum non valet, cum sæpe magna læsio parvo, & parva læsio nonnisi duro avertatur remedio: alterum etiam tantum cum restrictione dici potest, licet enim dolo, occulta oppressione, vel satisfactione uti, dummodo lædens cum tempore resciat, a quo, & in quali mensura diminutio sibi facta sit partim ideo, ne innocentes periculo suspicionis exponantur, partim, ut lædens cognoscere possit, an proportio inter media coactiva, & læsionem illatam fuerit observata.

§. 229.

Ex scientifica expositione Juris Naturalis Extrasocialis Singularium, & Familiarum fluit: 1-o Assertum Hobbesii: *nullum in statu naturali dari jus, sed omne tantum per civilem unionem fundari* non esse verum. Quia negari non potest, personis sine omni positiva legislatione a ratione tribui jus ad omnes, sed tantum eas actiones, quæ reliquarum liberam activitatem cum universali conciliabilem impossibilem non reddunt, (§. 11. & 12.), proinde etiam facultatem tribui contra lædentem coactione utendi, cum finis absque remotione impedimentorum obtineri non possit (§. 49.) Igitur jura, & justæ restrictiones sine omni positiva legislatione agnoscuntur, ergo status naturalis per se haud injustus est. 2-o *Usum jurium, juxta rationem personis competentium, in statu naturali esse multis dubiis, copiosis aggressionibus, & oppressionibus obnoxium:* Nam etiamsi persona in statu natu-

rali cum sibi æqualibus in socialitate existens se de jure personalitatis, & inde fluentibus connatis penes se existentium personarum convincere sciat, poterit ne tamen ab ea exspectari propter suam non infundatam solicitudinem, an nempe, & quamdiu hæ ipsius jura agnoscere velint, ut illarum jura pro inviolabilibus agnoscat? Dein si quid ad promovendos suos fines acquirere voluerit, an non reliquæ personæ ipsius propositum tamquam involationem in communionem rerum consideraturi sint? sed posito etiam personas in statu naturali super introductione dominii convenisse, quam dubii sunt acquisitionis limites, quam incerta signa occupationis? Porro introducto dominio, ut necessitatibus mutuis subveniatur, necessarium est pacta inire, in quibus indeterminatæ possunt esse mentis declarationes, quarum interpretatio cui committenda, ut fiat sine partium studio? Denique quomodo securitas super adimpletione pactorum obtinenda? si vero propter jura lites oriantur, læsus est judex, proprium interesse excoecat eum, ne contrariis motivis justitiam dictet, & sic vis physica evadet victrix super jure. In statu, ubi quilibet de securitate sua solicitus esse debet, etiam nihil, aut parum significantes eventus suspicionem læsionis excitant, sicque alter sub specie præventionis licitam esse putat primam aggressionem, cui alter ex convictione innocentiæ suæ jure resistit, & ita semel inchoatæ hostilitates utrinque in vindictam abeunt, præsertim, cum limites coactionis sint indefiniti. Id ipsum valet de familiis, quia licet primo obtutu hoc cogitari posset, familias facilius læsionibus resistere, & jura sua adversus malevolorum molimina tueri posse, quam homines singulares;

tamen, quia unusquisque patrumfamilias eum domesticorum numerum nec reperire, nec alere semper potest, qui contra increscentem injuriarium vim plenam securitatem præstaret, inter familias idem pro jure subversatur periculum, quod inter homines singulares præsertim; cum nec pactum securitatis familias securas a jurium violationibus reddere potuerit (§. 155.). Ergo jura in statu extracivili continuis turbationibus sunt exposita, proinde est status justitia vacuus. Hinc 3-o sequitur, *ad possibilem perfectum usum jurium consequendum Civitatem esse urgentem necessitatem, proin ejus fundationem, & conservationem propter ipsum jus esse summe necessariam.* Quia sive ut universaliter agnoscantur jura, sive ut sufficiens adsit potestas jura persequendi, necessaria est conjunctio ad mutuam defensionem jurium sub suprema potestate (Civitas), quæ per claras & determinatas leges jura omnium commembrorum promulget, jura, quæ in litem venerunt, per judicialem pronunciationem, nulli amplius inquisitioni obnoxiam, decidat, & per comminationem, & executionem coactionis, quæ conjunctione virium irresistibilis efficitur, jura singulorum secura reddat.

PARS II.

De mediis, quibus gentes jus suum persequi possunt.

§. 230.

Jura gentium sunt ita, sicut singularium hominum cum facultate cogendi conjuncta; ideo non tantum mediis noncoactivis, sed etiam coactivis jura sua persequi possunt. Interim exercitium coactionis inter gentes debet æque, ac inter homines singulares juxta certas regulas fieri. Si gens una adversus alteram coactione mediante jus suum persequi conatur, oritur communiter inter easdem *bellum*; hinc *jus belli*, utpote species juris cogendi, gentibus, & earum repræsentantibus (Imperantibus) competere, manifestum est. Per *bellum* generatim intelligitur status, in quo duæ, vel plures personæ durabilem, & efficacem conatum produnt se mutuo in sua externa conformatione per coactionem omnis speciei, & magnitudinis determinandi. Ipsa vero inflictio malorum physicorum per vim essentialiter non requiritur ad bellum, sufficit conatus efficax eadem inferendi, qui tamen debet esse durabilis, ut bellum a privatis rixis, pugnis distingvatur, neque determinatam coactionem respicere debet, ne cum retorsione, vel re-

pressaliis confundatur. Bello opponitur *pax*, seu status a violentia vacuus. Animus declaratus alteri vim inferendi est *hostilitas*, & qui talem animum habet, *hostis* dicitur. Qui primos actus hostilitatis exercet, bellum *offensivum*, qui iis resistit, bellum *defensivum* gerere dicitur. Sunt, qui per bellum *defensivum* intelligunt, quod geritur a læso, etsi primos exerceat actus hostilitatis, & per *offensivum*, quod suscipitur a lædente, & eo sensu omne bellum defensivum esset justum, omne offensivum injustum. Sed posteriores hæ acceptiones repugnant communi loquendi usui. Porro bellum ratione finis, ob quem geritur, potest esse *præventionis*, *defensionis*, & *reparativum*, prout vel ad imminentem læsionem præcavendam, vel præsentem removendam, vel præteritam reparandam dirigitur. *Punitivum* bellum juxta essentiam suam est defensionis bellum, cum per hoc defensio adversus repetitas læsiones intendatur. Item ratione personarum, quæ inter se bellum gerunt, bellum in *privatum*, & *publicum* dividitur, prout inter privatas personas, ut tales, & gentes geritur, & hoc est *sensu proprio bellum.*

§. 231.

Cum omnis coactio juxta legem juris ad determinatum principium, & finem restricta sit, (§. 210.) patet bellum, ut pote speciem juris cogendi durissimam, habito respectu ad ejusdem causam, & finem esse posse, *justum*, vel *injustum*, prout justa ejusdem ratio, & finis præsto est, vel non. Rationem coactionis, proinde etiam belli in futura, præsenti, vel præterita læsione juris, quæ medio leniori,

quam

quam coactio, & bellum est, declinari nequit, sitam esse, finem vero coactionis, consequenter & belli esse remotionem, vel sublationem læsionis, sola ratione agnoscimus, si coactio, & bellum, ut medium necessarium, & ad hoc obtinendum aptum cogitari potest. Quare si nulla inferatur populo injuria, aut hæc aliter possit evitari, bellum fiet ratione causæ, & finis injustum. Ex quo prono fluit alveo 1-o ad justum bellum requiri læsionem certam aliter indeclinabilem, 2-o bellum ex utraque parte justum reipsa repugnare, quia quatenus uni parti jus cogendi competit, eatenus altera pars obligatur coactioni cedere, ergo ex parte ejus jus ad resistentiam absque contradictione affirmari non potest (§. 12.). Sed fieri tamen potest, ut ultro citroque injustum sit, veluti si in re dubia neuter æquas compositionis conditiones admittere velit.

§. 232.

His rite pensatis facile sequentes quæstiones solventur: a) An violatio officiorum ethicorum (erga Deum, se, & alios) sit justa causa belli? Non; nam illud satis cuique perspectum est, actiones impias, inhonestas, vel iniquas ab actionibus injustis sive læsionibus proprie discrepare. b) An genti transitum territorii sui alteri genti recusanti bellum juste inferatur? Minime; quia quævis gens vi juris territorialis quemcunque ab accessu, & transitu territorii sui excludere potest; proinde jus istud exercendo nullius gentis jura lædit. c) Licet ne genti vicinam Civitatem ad continuo crescentem ejus potentiam cohibendam bello lacessere? Ita, si mediis injustis, quæ nihil aliud sunt, quam læsiones, nimiam

potentiam adipiscatur. At, si mediis licitis fines Civitatis, veluti occupatione, pactis, hæreditatibus, aliisque modis legitimis dilatare satagat, jure suo utitur, proinde nemini infert injuriam, nefas igitur foret arma adversus talem gentem sumere. Ex eadem ratione *æquilibrii conservatio* non est justa causa belli. Stant autem in æquilibrio gentes, quarum vires ita inter se sunt divisæ, ut aliæ aliarum impetum sustinere satis valeant. Interim contra gentem, quæ viribus & potentia vicinis Civitatibus periculosa invalescit, jure cavendi uti licet, ut se domi munire, pangere fœdera, petere cautiones &c. d) An ex eo, quia vicina gens constitutionem suam mutavit, novumque rerum ordinem in territorium suum invexit, licitum sit eidem bellum inferre? Minime; quia vi juris independentiæ quævis gens leges fundamentales abrogando, novumque imperii & regiminis systema invehendo utitur jure suo (§. 159.), proinde pro lædente haberi non potest, dummodo jus istud exercens intra sphæram suam se contineat, & nullum externum gentium jus violet. Aliud foret, si gens principia, quæ cum securitate, & libertate aliarum Civitatum conciliari nequeunt, publice confiteretur, & statueret. Talia enim tentans a vicinis gentibus, quarum jura immediate aggreditur, jure coërceri, & ut meliora sapiat, vi adigi potest. e) An *convenientia*, seu utilitas, quam gens ex bello sperat, (nonnulli *rationem status* nominant) sit justa causa belli? Non; quia gens alteri genti denegando illud, quod ipsi ab illa tribui est utile, utitur jure suo, ergo absque manifesta contradictione affirmari non potest jus eidem illud per bellum subtrahendi. Quare ratio status tum demum valebit,

si quæratur, num bellum per se justum etiam cum utilitate suscipi possit. Quoniam vero rationes justificæ palam proferri, svasoriæ autem a belligerantibus occultari maxime solent, satis in aperto positum est, cur illæ *prætextus*, hæ vero *causæ* nominentur.

§. 233.

Cum gentes ita, sicut homines singulares remediis violentis ad avertendam læsionem tunc tantum jure utantur, quando modi placidi sunt frustranei, consequens est, ad justum bellum non sufficere quamcunque læsionem, sed ea sit aliter indeclinabilis, est necesse. Hinc 1-o si de jure dubio sit quæstio, leniores vias: ut probationem, amicam exæquationem inire oportebit, (§. 224) 2-o si certa & aliter indeclinabilis adsit juris gentium violatio, vel in re dubia nullus placido litem finiendi modo relinquatur locus; tunc quidem applicatio mediorum coactivorum, quatenus est necessaria, & apta, evadit justa, attamen non statim bellum præsto est. Quia dantur media leniora coactiva, quam bellum, quæ pro persequendo jure sufficere possunt. Inde fit, ut populi antequam bellum gerant, prius amico modo injuriæ cessationem postulent, & porro, si fieri possit, ad retorsionem juris, & repressalias confugiant.

§. 234.

Retorsio generatim est tractatio gentis juxta eadem jura, juxta quæ aliæ gentes ab illa tractantur. At retorsionis actus ita sint comparati, ut ad juris læsi expletionem, & obtinendam satisfactionem pertineant. Itaque-

si civibus nostris pars hæreditatis detrahitur, vel census imponitur emigrationis, idem cum extraneis observare licebit, aut si nostrates a nuptiis, muneribus, nundinis in altera Civitate excluduntur, hujus quoque cives excludi rite possunt. Sed legatos, vel obsides alienos occidere nefas foret, etsi nostri ab aliis interficiantur; cum tale factum malo, quod jam illatum est, avertendo, aut reparando minime idoneum sit.

§. 235.

Repressaliæ sensu lato denotant omnia media coactiva, quibus gens una adversus aliam sua jura comprobare nititur. Hoc sensu repressaliæ complectuntur in se etiam retorsionem. *Sensu minus lato* sunt actus, quibus res, vel personæ subditorum populi unius ab altero populo *prensantur*, idest pignori capiuntur, donec sibi de injuria satisfiat. Si pignoratio personarum fiat, *androlepsia*, si rerum *repressaliæ sensu stricto* vocantur. Tam repressaliæ, quam androlepsia non tantum jure gentium positivo, sed etiam naturali recte usurpantur. Quia læsus adversus lædentem habet jus pignoris, sive illud res, sive personam lædentis respiciat, si sit medium aptum & necessarium ad jus conservandum, & tuendum (§. 225.). Obtinent potissimum repressaliæ in specie, si suprema gentis tribunalia legitime requisita justitiam administrare denegent, vel protrahant injuste; androlepsia vero adhibetur, si homines nostri sine causa in alterius territorio detineantur. Singuli cives jure repressaliarum non gaudent, nisi literis, quas vocant *marcæ*, a gente, vel ejus repræsentante (Imperante) hæc facultas ipsis con-

cessa fuerit. Et cum tota gens sit persona moralis, in qua cives singuli, veluti totidem membra, eorum vero bona, tamquam partes in toto Civitatis patrimonio continentur, consequens est, jus repressaliarum in personas, & res gentis indiscriminatim exerceri posse. At, si lædatur civis per repressalias, indemnitas ei debetur a propria Civitate, nec enim ab illo, qui exercet repressalias, sed ab eo, qui debitum non solvendo, vel jus non reddendo est earum causa, patitur injuriam.

§. 236.

Si juris violatio inter gentes sit clara, & repressaliis sensu lato gens læsa uti non possit, vel usus earumdem sit insufficiens ad finem obtinendum, bellum offensivum justum esse non potest, nisi aut rebus repetitis geratur (clarigatione), aut denunciatum ante sit, & indictum (denunciatione, indictione belli præmissa), quod fieri potest expresse, vel tacite (§. 100.), nisi legatis, aut literis ullus pateret ad hostem aditus. Quia ad justitiam belli requiritur læsio certa aliter indeclinabilis; an vero sit aliter indeclinabilis ante clarigationem, aut indictionem belli sciri non potest, cum læsi jus possit esse ignotum lædenti, vel hic cogitare possit, læsum nolle adhuc jus suum persequi. *Utraque non requiritur:* quia ex eo, quod quis jus suum repetat, probetque, alter intelligere satis potest, mediis placidis violentos esse successuros, & ideo in clarigatione tacita belli denunciatio continetur. Si vero gentes sibi pacto promisissent, indictionem belli semper esse præmittendam, tunc, quia pacta sunt servanda, sola clarigatio non sufficit, & tale bellum vocatur *solemne.* Ceterum ex scopo clarigatio-

nis manifestum est, inter hanc, & belli initia tantum interesse tempus debere, quantum requiritur, ut alter possit debitum vel agnoscere, vel denegare.

§. 237.

Differt a belli indictione ejusdem *publicatio*. Belli enim indictio fit ab aggressore ei, cum quo manu armata congredi cogitat. At belli publicatio fit ab utraque parte belligerante tam propriis subditis, quam etiam aliis gentibus; ut nimirum cognoscant justitiam belli, & actiones, finem belli promoventes, suscipiant, vel saltem eundem impedientes, intermittant. Hæc publicatio fit per *manifesta*, id est literas, quibus rationes suscepti belli exponuntur, ut suspicio injusti belli amoveatur, & *antimanifesta*, seu refutationes manifestorum. Non raro quoque publicationi adduntur, vel etiam separatim mittuntur *literæ evocatoriæ*, *dehortatoriæ*, & *inhibitoriæ*. Per literas evocatorias præcipitur subditis sub pœna, communiter confiscatione bonorum, ut ex territorio hostis, interdum etiam tertiæ gentis ob securitatem propriam, vel defensionem patriæ redeant; per dehortatorias prohibetur omnis præstatio operarum militarium, interdum etiam civilium genti inimicæ; per inhibitorias præcipitur, ut ab omni commercio epistolarum, aliarumque rerum cum hoste abstineant.

§. 238.

Per bellum inchoatum, ne ratione modi, quo geritur, injustum evadat, non debent vehementiora, quam scopus belli postulat, mala hosti inferri (§. 231.); scopus autem bel-

li est remotio læsionis sive præteritæ, sive inchoatæ, sive imminentis. Hinc solum ea mala, quæ ad reparandam præteritam, vel ad futuram præcavendam, aut ad se defendendum adversus præsentem læsionem, tamquam media necessaria, & apta cogitari possunt, in bello inter gentes sunt licita, verumquidem est ad hoc, an certi actus hostilitatis ad finem belli sint apti, vel inepti, necessarii, vel superflui, requiri judicium securum; hoc autem ab accurata cognitione circumstantiarum belli dependet, quas tantum læsa pars optime scire potest, neque super his vi juris independentiæ alterius judicium pro recto agnoscere obligatur; ideo etiam jus belli ab aliquibus *infinitum*, vel saltem *indefinitum* dicitur. Interim advertendum est, lædenti interdum, & tertiæ genti, e. g. ex propria confessione læsæ gentis circumstantias belli notas esse posse; lædentem æque ad judicium super circumstantiis suis, ab alia gente latum, pro recto vi juris independentiæ agnoscendum non obligari; malum sæpe juxta notionem suam ad finem belli obtinendum esse ineptum (crudelitatem, vindictam). Est itaque possibile, ut etiam lædens, & tertia gens in certis casibus judicium securum super adhibitis actibus hostilitatis ferre, & læsam gentem propter modum gerendi belli injustitiæ arguere possit, Igitur jus belli non potest dici infinitum, sed ad summum indefinitum.

§. 239.

Omnis hostilitas tantum eatenus justa esse potest, quatenus adversus suum hostis dirigitur, estque medium ad finem belli obtinendum, neque tertiæ gentis neutralis jus

violatur. (§. 225 — 228.). Hinc 1-o vis bellica porrigitur cum in personas, tum in res hostiles, quo etiam res incorporales, quæque hosti a tertio debita sunt, referuntur. Igitur recte capiuntur non milites modo, qui finem belli impediunt, sed etiam alii, veluti viri dignitate conspicui, illustres fæminæ, ac virgines, ut hostis ita ad eos redimendos, & pacem amplectendam compellatur, & si necessitas postulet, si nimirum se opponant, jure vulnerantur, imo & interficiuntur. Ita licet omnia belli gerendi media ab hoste congesta, & parata occupare, auferre, & si auferri nequeant, destruere, urbes munitas expugnare, contributiones militares pro viribus cujusque loci devicti exigere &c. 2-o Injustum est occidere captos, arma deponentes, vitam salvam pactos, aut pacisci volentes, aut senes, effœtos, infantes, pueros, fæminas, aut religionis ministros, qui ab omni vi abstinent, nec ullum produnt nocendi animum *). Non secus nefas foret agros sine necessitate depopulari, incendere urbes, aliasque res vastare, quarum conservatio ad bellum faciendum, ducendum, ac renovandum nihil habet momenti. Quia sunt crudelitates. Fieri tamen potest, ut citra propositum hostis inermes personæ, earumque res per bellum in vitæ discrimen adducantur, sed tunc censendum est, mala hæc non tam inferri a justo aggressore, quam ab eo, qui sine jure resistit. 3-o Non licet perso-

*) Liv. hist. V. 27: *Sunt belli etiam sicut pacis jura; justeque non minus quam fortiter bella gerere didicimus. Arma habemus non adversum eam ætatem, cui etiam captis urbibus parcitur, sed adversus hostes armatos, a quibus injuste lacessiti fuimus.* Camillus ait.

nas peregrinas, earumque res in solo hostili deprehensas, si, se non esse de territorio, ostenderint, violare, occupare. Quin etiam personas hostiles, in territorio pacato morantes, violare vetat jus gentis, ad quam ea regio pertinet. At ii hostium subditi, quos exorto bello in nostro territorio deprehendi contigerit, capi possunt præsertim, cum tales non solum juri belli, sed etiam repressaliis sensu stricto subsint. Hinc patet, cur etiam obsides ad modum androlepsiæ detineri possint, sed non legati, eorumque res, quibus ex acceptatione literarum credentionalium, & datione commeatus tamdiu sanctitas, & extraterritorialitas competit, donec domum non rediverint.

§. 240.

Actus hostilitatis adversus personas, & res hostiles non solum *publice*, sed etiam *occulte* (per stratagema) exerceri possunt. Est vero *stratagema* simulatio, aut dissimulatio ad hostem circumveniendum adhibita. Quia potest esse medium aptum, & necessarium ad finem belli obtinendum, simulque esse lenius medium, utpote in arte & ingenio consistens, quam vis aperta. Dein probari non potest, aliis absolutum jus adversus nos ad veracitatem competere (§. 64.), eominus autem hosti injusto, cui nullum jus materiale attribuere tenemur, si cum persecutione juris nostri subsistere nequeat. Hinc licitum est hosti justo metum, aut fugam fingere, insolitas vestes induere, & exploratores, qui apud hostem clam degant, ejus consilia, vires, statumque omnem expiscentur, ac prodant, mittere. Imo recte adfirmant aliqui, non esse absolute illicitum jure gentium naturali, arma, & alimenta

veneno corrumpere, & ita interimere hostem; immittere percussores, qui fugam, subjectionem, amicitiam simulantes ex insidiis, & dolo rectorem, aut belliducem exercitus hostilis interficiant; feminas impuras ad inficiendum hostilem militem submittere; hostiles subditos ad proditionem perducere. Quia usus horum interdum est unicum medium, ut hostis justus, qui ad apertam vim hosti injusto inferendam se debilem sentit, finem belli consequatur, neque tenetur ullum jus materiale hostis injusti agnoscere, quatenus est impedimentum ad violatum suum jus persequendum. At juri gentium positivo, & humaniorum gentium moribus extra casum repressaliarum usus horum stratagematum adversatur.

§. 241.

Per actus hostilitatis belligerantes veniunt in possessionem rerum adversæ partis, & quidem, si milites res mobiles hosti auferant, *prædam*, si immobiles, *expugnationem* facere dicuntur. Ipsa actio, qua res hostiles in bello capiuntur cum proposito sufficienter declarato sibi easdem habendi, *occupatio bellica* vocatur. Cum in bello publico agatur de persequendo jure unius gentis adversus aliam tamquam fine, ad cujus consecutionem media sunt præda, & expugnatio, patet bona, per prædam, aut expugnationem a militibus occupata, in gentis venire dominium, a cujus porro voluntate pendebit, an aliquid, & quantum singulis prædatoribus reliquendum sit, præscribere.

§. 242.

In bello facta incaptivatio personarum, & occupatio bellica non sunt proprii modi

sive acquirendi imperium in tales personas, sive acquirendi dominium in tales res, sed tantum modi persequendi jura, donec gens vel ejus repræsentans juri suo non renunciaverit, e. g. per pactum pacis. Ideo personas, ac res, ab hoste ablatas, iterum auferre licet, & taliter liberatæ personæ habent jus exigendi, ut incaptivatio ipsis innoxia sit, domini rerum autem, ut ipsis res restituantur, breviter, ut ambo in pristinum statum reponantur, quod venit nomine juris *postliminii*.

§. 243.

Inter remedia finem belli obtinendi, armorum auxiliarium imploratio reperitur; quælibet igitur gens gaudet jure auxilia implorandi, seu fœdera defensiva ineundi. At fœderata gens tum solum auxilia bellica præstare obligatur, si satis de justitia belli constet (§. 160. & §. 47.). Quia vero fœdere belli juncti populi sunt socii belli, & fiunt participes belli; ideo, quæ hactenus de justo, vel injusto hoste tradita sunt, ea omnia ad belli socios adplicanda sunt. Hinc 1-o bellum, uni genti indictum, omnibus etiam ejus sociis indictum, censetur. 2-o Res, occupatione bellica acquisitæ, pro rata dividendæ erunt cum sociis belli, nisi aliter conventum sit, quod utique licet ad evitandas lites.

§. 244.

Cum originaliter omne juris officium negativum (aliorum jura non violandi): non vero affirmativum (illorum fines promovendi) sit (§. 14.); ideo nullum datur jus inter gentes, vi cujus una gens aliam ad fœdus de-

fensivum, vel plane immediate ad auxilia præstanda cogere posset, nisi prævie speciali quodam fœdere obstricta fuisset. Igitur gaudent gentes jure *neutralitatis*, i. e. jure neutras sequendi partes. Gens durante bello aliarum gentium hanc conformationem observans vocatur *neutralis*, & in hanc, cum non sit particeps belli, belligerantes nullum jus sibi adrogare possunt.

§. 245.

Ut gens neutralis dici possit, debet esse 1-o aliena a favore & studio partium, h. e. nullum conatum alterutri belligeranti peculiaria præstandi auxilia præseferre, sed si 2-o uni parti quid permittat, velut annonæ coëmtionem, transitum militum, & alteri idem permittat, est necesse. Hinc gens neutralis urbi obsessæ aliquid ad fovendam defensionem advehere nequit, neque pati potest, ut in suo territorio hostis unus res alterius capiat, vel personas persequatur.

§. 246.

An salva neutralitate tertia gens cum gentibus belligerantibus commercium exercere possit? Ante omnia distingvendum est, an gens neutralis in, vel per expugnatam Civitatis partem commercium exercere velit, vel non. In primo casu vi occupationis bellicæ (§. 239.) gens victrix habet jus leges ferendi circa commercium, ergo etiam omne prohibendi sub pœna confiscationis. In altero casu generatim nulla pars belligerantium habet jus tertiæ genti commercium qualecunque prohibendi, & sub prætextu violatæ neu-

tralitatis arma adversus eandem vertendi. Quia quælibet gens habet jus connatum se conservandi, & perficiendi (§. 160.), ergo etiam eo necessaria, & apta media, inter quæ refertur commercium, adhibendi. Dein illud commercium vel consistit in mercibus respectu finis belli indifferentibus, vel non; si primum de partium studio quæstio nulla oriri potest; si alterum, dummodo æqualitas in commercio erga utramque gentem belligerantem observetur, neutralitas salva manebit.

§. 247.

Cum nihil magis hominum turbet societates, quam belli calamitas: sequitur, Civitatum esse omnia, quibus bellum finiri potest, parare, & agere. Huc referuntur *conventa bellica*, i. e. pacta, quæ tempore belli inter ipsas gentes bellum gerentes ineuntur, & prout vel suspendunt actus bellicos, vel finiunt, vel ad aliam quamdam præstationem pertinent, ita jam *induciæ*, jam *pactio pacis*, jam *conventiones bellicæ* nominantur. Ad postremum genus conventorum bellicorum referuntur *Cartels* sensu stricto *), id est pacta de permutandis, vel redimendis captivis erga pretium determinatum, quod *lytrum* vocatur, tum *capitulationes* (pacta deditionis), quibus aut certa regio, urbs, munimentum, aut certæ personæ potestati hostis sub certis conditionibus permittuntur. Quarum conventionum

*) *Cartels* sensu lato sunt omnia pacta bellica, quæ nullum proprium nomen habent. e. g. pacta super specie armorum, qua uti licet, super commercio &c.

quanta vis sit, ex expresso, vel tacito contextu earumdem per interpretationem eruendum est.

§. 248.

Conventa bellica accurate impleri debent, dummodo essentialibus requisitis pactorum instructa sint. (§. 99.) Quia etiam injustus hostis non desinit esse persona, proin derivativæ acquisitionis per pactum capax, & ejus adversarius, ut talis, habet semper facultatem jura sibi competentia in eundem per pactum transferendi. Non ergo cum stratagemate confundenda erit pacti cum hoste durante bello initi violatio, hac enim admissa nullus sane foret conducibilis bellorum exitus, & stratagema tantum est eatenus justum, quatenus hosti ad veracitatem jus concessum non fuit (§. 240.), quod tamen in omni convento bellico conceditur (§. 99.). Neque ex eo potest impugnari validitas conventorum bellicorum, quia vi juris belli hostis justus habet jus in omnes res tam mobiles, quam immobiles, corporales, & incorporales hostis injusti, sive per adimpletionem pacti cum eodem initi jam acquisitas, sive acquirendas. Nam jure præsumi debet hostis justus huic juri respectu objecti, in convento bellico expressi, tacite renunciasse, secus talis conventio per interpretationem effectu suo destitueretur, quod est injustum (§. 120.)

§. 249.

Induciæ, seu pacta inter hostes de actibus bellicis ad certum tempus suspendendis, respectu extensionis, vel sunt *universales*,

vel *particulares*, prout actus hostilitatis quoad omnia loca, & objecta, vel saltem quoad aliqua cessant. Ad particulares inducias refertur *salva gvardia*, si per modum privilegii certis rebus, & *liber commeatus*, si certis personis ad determinatum tempus immunitas a vi bellica concedatur. Porro respectu durationis induciæ vel sunt *armistitia*, vel *induciæ* strictim sumtæ, prout ad breve tempus, & certi negotii peragendi causa, veluti ad mortuos sepeliendos, vel etiam ad longius tempus, in quo totus belli adparatus dissolvitur, concluduntur.

§ 250.

Conclusio induciarum est dispositio, vi cujus persecutio juris unius gentis adversus aliam differtur; proinde jus inducias faciendi tantum imperantibus, ut pote gentium repræsentantibus, competit. Quilibet alter, ut valide inducias concludat, indiget plenipotentia sui imperantis, quæ etiam tacita esse potest, si ex fine muneris publici intelligatur ita, ut sit medium aptum, ac necessarium ad eundem obtinendum; ideo belliduces particulares, & breves inducias etiam absque expressa plenipotentia circa objecta, suæ potestati subjecta, sancire possunt; non item universales, & longas inducias; quia conclusio talium induciarum non potest cogitari esse medium ad qualiscunque belliducis munus cum effectu gerendum. Quamprimum vero valide concluduntur induciæ, eæ statim promulgandæ sunt subditis. Quia vi induciarum contrahentes illico obligantur intermittere omnes actus hostilitatis, proinde ad hoc efficiendum necessarium medium suscipere, quale est pro-

mulgatio facta subditis, sine hac enim non sciunt, an liceat ipsis actus hostilitatis intermittere. Quare, si quid subditi ante promulgationem induciarum in præjudicium adversæ partis suscepissent, pro delinquentibus haberi non possunt. Utrum autem contrahentes ad talis damni præstationem obligentur, Martini distingvit, an causa hujus sita sit in malo proposito, vel saltem culpa contrahentis, cujus subditi inducias ruperant, vel non. In primo casu, cum damnum sit arbitrarium, extra dubium esse, læsæ genti competere jus exigendi præstationem damni, in altero autem, cum damnum sit nonarbitrarium, hoc jus eidem denegandum, affirmat. At consideratis iis, quæ §-pho 52. de damno nonarbitrario dicta sunt, potius Grotii opinioni contrariæ accedendum esse arbitramur.

§. 251.

Tempore induciarum plena adesse debet securitas; quare loca incustodita occupari, aut vallum refici, aut auxilium urbi laboranti mitti nequeunt, ast mœnia intra suos fines reparare, militem conscribere omnino licet. Quod si tempus induciarum finitum sit, hostilitates sine nova belli indictione renovari possunt, nisi duratio induciarum indeterminata mansisset. Quia, qui juri suo ad determinatum tempus renunciat, tacite declarat, se idem evoluto tempore iterum exercere velle. Quando vero tempus illud sit lapsum, sæpe in dubium vocari potest. Scilicet vel tempus additur continuum, velut per 30 dies, & tum numeratio facienda est ad momentum; vel certus assignatur terminus, e. g. a 1-a Julii usque 1-am Augusti, & tum 1-a Julii *(terminus a*

quo)

quo) includitur induciis, 1-a Augusti vero *(terminus ad quem)* excluditur ab induciis. Quia id vult communis usus loquendi. Si intra tempus induciarum a privatis vis bellica adhibeatur, propterea induciæ pro ruptis haberi non debent, nisi imperantis adprobatio accesserit. Quia induciæ non privata, sed publica auctoritate ineuntur, & subditus suam Civitatem, ac imperantem tantum tunc juridice repræsentat, quando est ejusdem mandatarius (§. 192.), vel ejus privata actio per ratihabitionem imperantis in publicam elevatur.

§. 252.

Maximi momenti conventum bellicum est, quod finem bello (§. 248.) publico imponit, & vocatur *pactio pacis* (pax). Hac valide conclusa sequitur, contrahentes pactione pacis statim obligari, ut primum fuerit facta; horum vero subditos nonnisi secuta publicatione, vel a tempore convento. Quare propter objectum litigiosum deinceps ab omni conatu mala sibi invicem inferendi perpetuo abstinere, & id, quod in eadem fuerat promissum, vel statim, vel intra tempus præstitutum exequi debent.

§. 253.

Valor autem pacis, sicut omnis pacti dependet 1-o a vero consensu paciscentium, 2-o possibilitate præstationis tam activa, quam passiva (§. 99.). Quare pax nullum effectum juridicum producit, a) si injusta coactione promissum extorqueatur, & una hæc coactio principale motivum sit conclusionis pacis (§. 109.); nisi gentes litigantes prævie in eo convenerint, ut per victoriam lis decidatur, volenti enim

non fit injuria. b) Si objectum pacis morali personalitati gentis repugnet (§. 106.). Hinc si victor victam gentem conclusa pace subjugaret, & in servitutem redigeret, proinde civili existentia & independentia privaret, gens subjugata recuperatis viribus occasione oportuna arma arripere potest ad jus suum personalitatis efficax reddendum, quin propterea perfidiæ argui possit. In regula itaque bella independentium Civitatum *subjugatoria*, vel *internecina* sunt injusta. Quodsi vero ab hoste pax obtineri nequeat, nisi omnibus nocendi viribus privetur, & nulla spes affulgeat eum, restituta pace quietum futurum: victor jus habet, ne ipse in perniciem ruat, ad extremum istud necessitatis medium confugiendi. (§. 238.).

§. 254.

Pactum pacis redolet naturam transactionis. Quamvis alterutrius populi belligerantis causa semper sit injusta, quum tamen id agnoscere, aut saltem fateri uterque detrectet, nec ullus inter eos sedeat judex, bello profecto nunquam finis imponeretur, si, a cujus parte stet veritas, decidere, & quantum quis tum ex causa belli, tum pro damnis, inter arma illatis, petere possit, definire oporteret. Nulla igitur alia via superest, quam ut lis in foro externo dubia dato aliquo, vel promisso, vel retento, hoc est per transactionem finiatur. Itaque gentes, quæ litem, unde bellum ortum est, mutuo consensu componunt, juri, quod habebant res suas vi armorum persequendi, renunciant, & debitum sibi invicem condonant. (§. 224.).

§. 255.

Ex natura pactionis pacis patet, 1-o eandem non decidere justitiam, vel injustitiam belli, sed solum componere controversias, 2-o non dari *jus victoriæ*, seu *eum belli exitum, quo quantitas physica unius hostis efficit, ut alter resistere amplius nequeat, juris argumentum non esse.* Quia victoria est productum virium physicarum, dexteritatis, sæpe etiam fortunæ, proinde legum physicarum naturalium, ergo non potest haberi pro fonte alicujus juris (§§. 5. 7.), nisi transactio, seu pactum pacis accesserit. 3-o *Amnestiam*, seu oblivionem omnium, quæ durante bello ex utraque parte locum habuerunt, læsionum, & offensionum per pacem annunciari. 4-o Socios belli in pactione pacis, & amnestia comprehendi.

§. 256.

Violatur pactio pacis, si promittens contra tenorem conventionis omnia eo, quo sunt loco, non relinquat, vel in priorem non restituat locum, vel quædam bello capta non reddat, vel etiam alia insuper promissa non præstet. Quod si promittatur restitutio in eo, in quo ante bellum fuit, statu, naturale est, ut tempus, quo bellum cepit initium, intelligatur. At rumpi pax dici nequit, si bellum inchoëtur ex alia causa, qualis esset & obligatio præstandi auxilia sociis, ratione quorum nulla facta est neutralitatis stipulatio. Quia facta pace tantum ob eandem causam bellum amplius suscipere non licet. (§. 252 & 254.).

§. 257.

Ceterum quamvis per pacem lis, ob quam bellum gestum fuit, decidatur; quia tamen verum est, bellum, tristissimum miseriarum & calamitatum humanarum fontem, desinere, cum victor, qui sæpe nullum jus habet, voluerit, ut bene advertit Salustius *), & pacem sæpissime cum maxima injuria victæ gentis concludi; ideo incommoda status naturalis (§. 228.) inter gentes hodiedum perdurant, & rationis postulatum est, ut lites inter gentes alio modo, non per victoriam, sub qua latet jus fortioris, decidantur, consequenter pax æterna regnet. Verum hæc pax tamquam idea absolute justi status gentium nullo unquam tempore obtineri poterit 1-o per *Monarchiam universalem*. Quia per hanc vel intelligitur imperium unius gentis in omnes reliquas hujus universi, vel tantum in certas, quæ in aliqua parte mundi e. g. Europa coëxistunt; si illud, impossibilitas talis Monarchiæ cui in oculos non incidat? si vero hoc, inter Monarchas diversarum partium hujus universi penes se existentes eædem relationes intercedent, quæ inter homines in statu naturali viventes obtinent, adeoque ortis litibus sola armorum vi finis imponetur, & tunc non inter unam alteramve gentem, sed inter gentes unius, & alterius

*) Bell. Jugurth. C. 85. *Omne bellum sumi facile, ceterum ægerrime desinere, non in ejusdem potestate initium ejus & finem esse: incipere cuivis etiam ignavo licere; deponi cum victores velint.*

partis orbis terraquei cruenta bella exardescent. 2-o per *politicum æquilibrium*, seu statum penes se existentium, & magis minusve fœderatarum gentium, in quo nulla alterius independentiam, vel essentialia jura citra perniciem propriam violare potest: Interim experientia docuit, a tali æquilibrio tot bella producta, quot impedita fuisse; dein eveniente bello ex æquilibrio facile oritur tanta præpotentia, ut speciem universalis Monarchiæ præseferat, adversus quam denuo gentes ob jus personalis subsistentiæ, cui renunciare non possunt, (§§. 158. 159.) bellabunt. 8-o *per universalem fœderationem*, qua gentes se obligatas redderent ad constantem congressum per suos ablegatos alicubi celebrandum, qui tamquam supremum forum omnes politicas contraversias decideret. Licet hæc confœderatio ad durabilem pacem procurandam multum conferre posset; tamen si magna & potens gens congressus pronunciationi acquiescere nollet, omnia bella non profligabit; quia in hoc casu, ut sarta tectaque conservetur congressus auctoritas, necessarium erit bellum. Proinde semper a bona voluntate, consequenter a morali momento dependeret, ut per talem confœderationem pacificus status gentium obtineatur.

Hinc tantum sensim & pedetentim ad hunc absolute justum statum gentes accedere possunt progressive meliorando statum suum *physicum*, *politicum*, & *moralem*. a) Respectu status *physici*, cujuslibet gentis territorium naturalibus, quantum fieri potest, limitibus deberet claudi, sufficientem extensionem, & fertilitatem habere, ne alienum territorium sit illicium invasionis, & jam multa bella evi-

tarentur. At qui sunt limites naturales? Maria, fluvii, montes, lacus, deserta arenosa secernunt quidem sedes gentium naturaliter, interim penes plerosque hos limites propria designatio limitum difficulter determinari potest. Sed, si hæc determinatio finium per positivum gentium consensum facta esset, procul dubio ob metum resistentiæ limites inviolabiles, fixi manerent. Ideo deberet b) respectu status *politici* illud principium statui, ut nulla gens alterius territorium sive ex toto, sive ex parte per hæreditatem, emptionem, aut quocunque demum modo acquirat. Et, ut nulla gens fidens in suo exercitu hoc politicum principium evertere, & alienum territorium sibi proprium reddere possit, deberent omnes gentes *syncratiam* sine stativo exercitu formare, seu statum, in quo per repræsentantes suos negotia gentium, & lites obvenientes determinarentur. Quia tunc jus belli non ab unius voluntate dependeret, nec tam facile in effectum deduci posset, quam si stativi exercitus semper præsto sint, qui ex cupiditate pugnandi bella procurant, cum longa pax ipsis honoris, & lucri consequendi impedimentum esse videatur. At totum hoc non præstabit pacem æternam, si c) respectu *status moralis* gentes progressus non fecerint. Quia in relationes gentium, & vitam earumdem politicam non solum naturæ necessitas, sed etiam libertas, & nobilior, vel ignobilior sentiendi ratio influxum habet; ideo maximum peccatum est politicorum, si moralium motivorum nullam considerationem habentes omnia mechanica ratione extorquere velint. Ut igitur gentes quietius coëxistant, egoismum exuant, præcedentiam sibi mutuo attribuant, in commercio liberaliora principia sequantur, in religio-

ne majorem tolerantiam observent, est necesse, contraria enim horum semper bella sufflaminant. Sperare itaque possumus gentes successu temporis ad pacem æternam propius accessuras; secus ratio sibi contradiceret, si postulatum ejus, perpetua nimirum pace omnia bella profligandi, tale esset, ut nunquam executioni mandari possit.

I–II

2162

LIBRARY OF CONGRESS
0 019 335 174 8

A Budapesti Ügyvédi Kamara választmányának határozata értelmében ezt a könyvet a kamara helyiségéből kivételesen és

<u>EGY PÁR PERCRE SEM</u>

szabad elvinni.

(2434/1929. 17.)